

Etus maioratus hæredi abintestato oppositoris prædefuncti: & est etiam planissima conclusio, quod confessio partis in his, quæ consistunt in iure, sibi non præjudicat. *Crauet a consil. 29. num. 2. & consil. 48. num. 7. & consil. 157. num. 6.* *Mascard. conclus. 387. Mancin. de conf. ff. capit. 1. num. 46. & cap. 7. num. 2. versicul. Nihil etiam operatur, Rota decis. 320. num. 7. in tom. unico diuers. edition. ann. 1636. seu tom. 5. in recent. vbi quod confessio in divisione bonorum emanata, quod bona sunt fideicommissio subiecta, non probat fideicommissum, quod non extat.*

**158** Quinto iterum insistit aduersu pars in eo, quod Dominicæ Aluarez hoc possessorum remedium denegant. *I. 9. tit. 7. lib. 5. Recopilat. & l. 5. tit. 19. lib. 4.* & ei solum ius proprietatis referuant: quia, vt sepius repetitum est, leges istæ procedunt quando qui tenutam amisit, continuat actionem petendi bona uti maioratus, & Dominicæ Aluarez, vt allodialia intendit, & in tenuta non obtinuit, quia erat iudicium incapax adiudicandi bona illi, qui ea intendit cum qualitate allodialium: & sic nunc venit ex alio capite, & ei resiudicata non obstat, vt supra numer. 146. & conducit textus in l. si filius qui patri 42. ff. de bonis liberorum. ibi: *Et qui alio iure venit quam eo, quod amisit, non nocet id, quod perdidit, sed prodest id, quod habet. l. si pater, & qui duos ff. de adoptionibus, ibi: Facit etiam hoc quasi quilibet, non quasi unus, l. debitor, & fin. ff. ad Trebellian.* ibi: *Qui non quasi haeres, sed quasi mater ex pacto accepit, l. tutor petitus, & quasi tutoribus ff. de excusat. tutorum, ibi: Cum iudicium patris ut filius, non ut tutor promovererit, l. profectitia, & Papinianus, ff. de iure dot.* ibi: *Magis eum quasi pater id, quam quasi curatorem fecisse videri, l. qui duos, ff. de coniungendis cum emancipat. liberis: & facit resolutio Oldraldi consil. 16. num. 4. vbi poena & priuatio vni imposta ut instituto, non præjudicat, si ut substitutus succedere intendit, Bald. in capit. studiisti, de officio legati num. 4. versic. Pone Papa concessit, vbi resolut ex uno titulo amissum, posse & peti, & retineri ex alio.*

**159** Sexto, dicitur contra communem opinionem Doctorum Regni, legem Soriæ, quæ est l. 3. tit. 13. lib. 4. Recopilat, non induci in fauorem Dominicæ Aluarez, ut hoc possessorum remedium rectè intendat, dicendo quod Mieres 3. part. quest. 17. num. 58. diuerso modo eā intelligit.

**160** Quia Mieres loquitur in terminis illius questionis, an filijs, quibus pater, dum vivit, legitimas assignavit, competit remedium possessorum adipiscendæ, & non competere probat ex eo, quia iam habent possessionem à patre traditam, & hac de causa num. 58 aliquid dicit de intellectu legis 3. sed non convincit, quia illius litera est expressa in fauorem hæ-

dum abintestato, vt habeant indicium somarium, & execuiaum pro consequenda bonorum possessione abintestato, vt probat Gutierrez in §. sui institut. de hæred. qualitat. & different. num. 74. Azeuedo in dict. l. 3. num. 39. versic. Ibi, & abintestato, & num. 31. & 32. Partadot. & Castillo locis citatis nu. 15. & Castillo c. 24 ibi citatus num. 22. reprobatur in individuo Mieres.

**161** Septimo dicitur, quod quando lex Sorriæ det remedium possessorum hæredi abintestato, erit in terminis legis fin. C. de edit. Diu. Adrian. tollend. & sic pro bonis, quæ habet defunctus tempore mortis: & quod D. Maria Damiana uæc bona non habuit tempore quo deceperit.

**162** Cui satisfit, nam D. Maria Damiana fuit huius maioratus successor, & in eam fuit vera maioratus possessor translata, vt supra num. 9. ex quo resultat omnia remedia possessoria habere, adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ, vt per Molin. lib. 3. cap. 13. numer. 1. & 2. Castillo tom. 3. cap. 3. cap. 24 numer. 25 & sequentibus, & num 31. Paz de tentata cap. 5. num. 11. & cap. 24. num. 19. Cancer. variarum lib. 2. cap. 6. num. 34 & 55. & sequentibus, Aviato variarum tom. 1. capit. 39. num 53. cum duobus sequentibus, Argel de adipiscend. quest 13. art. 8. num. 115. cum sequentibus, & latissimè Posthio de manutentione obseruat. 55. num 54. vbi pluribus relatis in difficultiori casu resoluti, quod quando per statutū possessor defuncti in heredem transfertur, competit hæredi manutentio in possessione bonorum hereditariorum, Rota decis. 200. num 5. in edit. ann. 1636. seu tom. 5. in recent. vbi eadem conclusio probatur Roti. decis. 1. nu. 18. & vt satisfaciat, l. fin. non est necessaria vera possessio in defuncto, quia sufficit detentio, Rol. 1. qui de communis testatur cons. 20. n. 3. lib. 3. Menoch. de adipiscend. remed. 4. nu. 168. & seqq. & cu eis Rota per Farin. decis. 131. nu. 5. tom. 2. in recent. & decis. 226. nu. 2. in d. tom. edit. anno 636. Ludouï. decis. 194. n. 11. Scipio Theodot. alle gat. 61. n. 27 Farinac. decis. 472. nu. 4. & decis. 755. n. 4. tom. 1. in posthum.

**163** Additur etiam, quod remedium l. fin. est transmissible ad hæredis hæredem: itaque si haeres institutus decedit antequam possessio nem hæreditatis apprehendat ex remedio legis fin. potest eius haeres illud intentare ex persona hæredis, vt tradidit Bartol. ibi num. 11. Bald. num. 35. vers. Idem in hærede hæredis, Zuchard. num. 236. C. de edit. Diu. Adrian. tollend. Menoch. de adipiscend. remed. 4. quest. 30 nu. 236. & seqq. Azeuedo in l. 3. tit. 13. lib. 4. Recopilat. num. 30 Noalis de transmission. casu 39. num. 1. & 2. Rota per Farinac. decis. 116. num. 1. tom. 1. in posthum. & hoc procedit, quamvis su haeres abintestato instituti, quia adhuc potest remedium leg. fin. intentare ex persona sui authoris hæ-

hæredis scripti in testamento, ut per Menoch. vbi suprà num. 242. & 243. Noalis vbi proximè num. 4.

164. Sine eo quod obstet replicare, Dominicam Aluarez ad hoc possessorum iudicium rem incertam presupponere, vel ad minus litigiosam, scilicet quod cōsobrina fuit successor majoratus, & quod per illius mortem bona libera remanserunt, & sic ea eorum ab intestato successor extitit, & quod prius declarari debebat in iudicio præambulo successio dictæ D. Mariæ Damianæ.

165. Nam respondetur, executoriam declarare bona esse in quasi possessione allodialium, cum in ea determinatum fuerit locum non esse remedio tenuta à partibus intentato.

166. Et D. Mariam Damianam fuisse ultimam majoratus possedentrem, hoc iudicium declarare potest, quin sit necessarium ad hoc aliud iudicium præambulum, & aliud posterius ad dandam ei possessionem, ut in terminis probat Paz de tenuta tom. 2. cap. 4. t. num. 4. & per totum, vbi latè probat posse in lite super tenuta cumulari iudicium rescindens, & rescissorium; & tom. 1. cap. 30. dicit remediu tenuta competere illi, qui vocatus non est, & pretendit non potuisse excludi à successione majoratus.

167. Comprobatur hæc conclusio ex traditis ab Azeued. in d. l. 3. titul. 13. lib. 5. Recopil. num. 3. vbi resolvit, quod hæres ex testamento nuncupatio potest facere illud ad scripturam reduci, & publicari iuxta formam legis 4. tit. 2. partit. 6. & illius etiam virtute possessionem petere, & tamen dubitari non potest, quod iuxta in contrarium allegata necessarium erat iudicium præambulum super publicatione testamenti: & hoc non obstante totius capax est iudicium possessorum, adipiscendæ: sequitur Argel. de adipiscend. quest. 6. art. 2. num. 22. cum seqq.

168. Idem in simili probat Molina lib. 3. cap. 13. num. 50. & 1. quod remedium tenuta habet locum pro majoratu probato ex immemoriali prescriptione iuxta l. 41. Taur. sequitur Paz cap. 27. & cap. 57. ex nn. 42. Castill. tom. 3. cap. 24. num. 35.

169. Minus obstat asserere, quod iuxta nostrum præsuppositum D. M. Damiana possedit hæ bona vii vinculata, & majoratu subiecta, & quod Dominica Aluarez esse allodialia intendit, & mutat possessionis causam, quod est reprobatum nota solùm in hærede, sed etiam in ipso possesso, qui propria autoritate causam possessionis mutare non potest.

170. Nam satisfit, quia Dominica Aluarez continuat titulum possessionis suæ consobrinæ, quia quamvis fuit horum bonorum uti vinculatum successor, in ea libera remanserunt, quia ultima possessor familiæ erat, & nullus erat consanguineus, cui restituerentur, & sic

de eis ad libitum potuit disponere, ut supra num. 10. & moriendo ab intestato intelligitur disposuisse expressè in favorem hæredum ab intestato, l. confiunctur, ff. de iure codicillorum, Franchis decis. 45. & decis. 600. vbi latè probat habentem facultatem de aliquo disponendi intelligi disposuisse, si ab intestato decedit, ad favorem hæredum ab intestato, Mastrill. decis. 277. num. 8. usque ad 16. Fontanel. depact. nupt. tom. 1. claus. 4. glos. 23. à num. 9. & pluribus comprobat Amato tom. 2. resolut. 76. nu. 23. & 24. Et hæc adaptati non potest conclusio mutationis tituli possessionis, cum in hoc casu non interueniat, siquidem Dominica Aluarez est successor suæ consobrinæ in bonis, de quibus disponere potuit, & fuerunt in eius hæreditate reperta.

171. Præterea, quia conclusio certa, & communiter recepta est, quod superueniente novo titulo, potest unus & idem possessor propria autoritate causam possessionis mutare, ut probatur in l. 47. in princip. tit. 28. part. 3. & est conclusio communiter in Rota approbata, ut per Puteum decis. 163. num. 3. & 4. & decis. 44. lib. 1. & apud Farinac. decis. 393. nu. 7. in novem centurijs, & decis. 127. num. 5. in fin. & decis. 561. num. 1. vers. Secundo fuit dictum, tom. 1. in posthum. & decis. 253. nu. 7. vbi quod mutationis possessionis inducit ex titulorum transfusione, & decis. 402. num. 5. tom. 2. in posthum. Magon. decis. Florentina 48. num. 3. Marta voto 196. num. 4. Sece decis. 25. num. 57. cum seqq. part. 1.

172. Octauò dicitur, quod remedium l. fin. C. de edict. Diu. Adrian. non procedit existente legitimo contradictori.

173. Eui respondetur, quod in hoc termini confunduntur, & debet distingui iudicium summarium, quod intentatur pro consequenda possessione hæreditatis vacantis, quia tunc iudex summarie mittit hæredem in possessionem absque aliqua citatione, Castill. tom. 3. c. 24. n. 61. Cancer. post 1. tom. var. cons. 1. nu. 8. 20. 41. & 42. in 2. edit. Sed quando existit legitimus contradictor, qui opponit cum titulo, vel possessione, debet audiiri: & hoc iudicium dicitur plenarium possessorum, ut per eundem Castill. vbi suprà num. 160.

174. Quod factum est in hoc iudicio, & cù intendissent Dominica Aluarez & D. Maria possessionem huius hæreditatis ex diuersis titulis, de illis fuit cognitum, ut pronuntiaretur, quæ earum melius ius soueret ad consequendam possessionem huius hæreditatis.

175. Nonò opponit obstarre Dominice Aluarez dominij defecum, quæ quidem est exceptio, quæ incontinenti probata impedit remedium l. fin.

176. Et hac quæstione non discepit, Dominica Aluarez idem opponit D. Mariæ de Castejon, quæ nec dominium nec titulum

habet, vt constat evidenter: & sic prætendere non potest remedium possessorum intentare, nec se esse legitimam contradictricem, vt impedire possit, quod Dominicæ Aluarez nō competat prædictum remedium ex dictissu. præ num. 13.

177 Deinde opponitur, Dominicam Aluarez ad hoc remedium intentandum plura præsupponere, quæ sunt incerta.

178 Primo, D. Mariam Damianam fuisse naturalem filiam D. Iosephi de Samano maioris, & D. Elizabethæ Aluarez eius sororis, & hoc incertum esse: sed satis factum est suprà in 2. artic. vbi latè probatum est filiationem esse notoriam, & ibi num. 91. & sequentibus, resolutum est ex communi, & veriori omnium sententia, in iudicio possessorio sufficere qualemqualem filiationis probationem, & est notissimum, quia si contraria oppositio admittetur, nullus, de cuius filiatione dubitaretur, posset remedium possessorum intendere, exclususque esset à probatione suæ filiationis, & consanguinitatis.

179 Secundò dicitur præsupponi D. Mariam Damianam successissè in maioratu per mortem D. Iosephi sui fratri, & quod hoc durissimum est, cùm eius negatio contineat maiorem difficultatem, cùm l. 27. Taur. faciat successores necessarios meliorationum, descendentes naturales, legitimis deficiensibus.

180 Ultimò dicitur etiam præsupponi bona libera remansisse in D. Maria Damiana, cuius articuli decisio dicitur adhuc esse sub iudice: & respondet utrū esse executoriam Senatus, quæ hæc bona esse libera probat, vel saltim ea constituit in quasi possessione talium: & si oppositio procederet, omniò obstat D. Mariæ, cum tituli, quibus nuditur, præsupponant libera remansisse per mortem D. Iosephi Antonij iunioris, negando fraternitatem D. Mariæ Damianæ.

181 Et notari debet contrarietas D. Mariæ de Castejon: nam insistens in re iudicata, quā obstat dicit Dominicæ Aluarez, obliuiscitur eam esse etiam contra se: nam cùm post dictam rem iudicatam in Senatu petiisset, sequestrium in bonis factum submoueri, vt bonis tāquam liberis frueretur, fuit denegatum per visionis decretum, quod in rem iudicatam transiuit, quia ab eo non fuit supplicatum.

#### ARTICVLVS IV.

182 D. Maria de Castejon intendit se esse manutendam in possessione horum bonorum, & quando non sit locus manutentioni, eam ei de nouo esse dandam.

183 Dominicæ Aluarez utrumque contradicit: & ad meliorem intelligentiam, articulus iste in duos punctos dividetur.

PVNCTVS PRIMVS  
In quo probabitur manutentioni locum non esse.

184 D. Maria de Castejon ad hoc remedium possessorium, int̄ sim. probare debet possessionem in tempore litis motæ, quæ tunc quieta, & pacifica esse debebat, & retinende instit de interdictis, cap. cùm venissent, de instit. Couart in pract. cap. 17. Posthio de manutent. obseruat. 17. n. 1.

185 D. Maria hoc requisitum recognoscens, non iubatur propria possessione, sed illa, quam accepit D. Martinus de Castejon suus patet virtute donationis & testamenti D. Iosephi sui nepotis.

186 Et quamvis utrumque titulum misceat, certum est, quod virtute donationis 3. Ianuarij 1630. nil petiit, nec possessionem ingressus est, & quod eam petiit dictus D. Martinus vt sui nepotis hæres: quæ quidem possessio utilis esse non potest prædictæ D. Mariae ad hoc remedium.

187 Primo, quia quando virtute dictæ possessionis fuisse legitimus possessor D. Martinus, hæc transmissibilis non fuit ad D. Mariam, & eius motte fuit extincta, & D. Maria, vt sit possessor, debet de novo possessionem apprehendere, l. cùm hæredes, ff de adquir. poss l. fin. C. de edict. Diu. Adrian. tollend. Tiraq. in tract. de constitut. 3. declaratio, in prefatio. num. 3. Noal. de transl. casu 37. num. 2. & 3. Posthio de manut. obseruat. 55. num. 23. & 24. Rota decisi. 35. num. 5. 3. 4. 11. & 12. tom. unico edito anno 636. seu tom. 5. in recent. qui alias referunt: & ratio est, quia possessio retinetur animo & corpore, l. 3. de adquir. poss. sed mortuo possessore, extinguitur animus, & corpus, l. 4 ff locati, cap. si gratiosè, de rescript. in 6. & consequenter extincta est possessio; & hæres de novo retinetur possessionem adquirere, quæ animo, & corpore adquiritur, vt in d. l. 3. l. quemadmodum, de adquirend. poss. Noalis d. casu 38. num. 3. Rota d. decisi 35. num. 2. 3. & 4. ex quo prouenit, quod hæres non potest petere manutentionē ex possessione defuncti, vt plenè probat Posthio d. obseruat. 55. n. 25. cum sequent. Rota d. decisi. 35. n. 11. & 12.

188 Secundò, quia quando D. Martinus petiit possessionem, & ei eam iudex dare iustit, D. Maria Damiana erat horum bonorum possessor virtute legalis possessionis, l. 45. Tauri, quæ operatur omnes effectus iuris communis, vt sup. num. 9. & 162. & nec ea, acc. ilius tutor, citata fuit.

189 Et possessio non citato possessor data, nulla est, c. licet Episcop. de praetend. in 6. Decian. respons. 47. n. 2. & seqq. lib. 5. & in nostra specie Castill. nom. 3. c. 24. nu. 67. cum seqq. Salgad. de Reg. protrect. 3. p. c. 7. n. 10. Rota decisi 513. n. 8. p. 1. in recent. Marta de succesi. legal. 4. p. q. 16. art. 3. n. 4. cum seqq.

190 Et

190 Et quod hæc possessio adepta, possesse non citato, non sit manutenibilis, latè Posthio obseruat. 12. num. 57. vbi ad longum, etiam quod sit judicialis, quia licet possessio auctoritate iudicis apprehensa reputetur iusta, *Liusi* posidet, ff de acquirenda possessione, debet hoc intelligi, si iudex ritè, & rectè processit, cum causæ cognitione, & parris citatione: alias enim nec constituit possessorem, nec privat alium sua possessione, vt per Posthium d. obseruat. 12. num. 36. cum pluribus sequent.

191 Et in nostra specie, quod possessio continuata per statutum, vel legem particularem, eo quod sit propria, & vera, non interrupatur ex eo, quod aliud de facto occupet possessionem, probat Peregrini. art. 47. num. 14. Personalis de acquirend. poss. num. 14. & 15. Argel. de adipiscend. quest. 13. n. 100. & 117. qui loquuntur in terminis l. 45. Tauri, quando statutum transfert possessionem in haeredem absque ullo facto suo, Cancer. lib. 2. variarum cap. 6. num. 60. in 2. edit.

192 Tertio, nam possessio D. Martini litigiosa est, quia die 7. Ianuarij anni 630. quod dari ei decretum fuit, & ex quo coepit apprehendere illorum bonorum possessionem, petitio tenutæ producta iam fuerat à D. Maria Damiana die 12. eiusdem mensis Ianuarij: itaque possessio impugnata fuit in continentia, & cum protinus causa initium acciperet, asserta possessio non est manutenibilis, *glossa in capit. commissa de elect.* lib. 6. verb. Pacificam, Mandos. ad reg. 34. Chancellar. quest. 26. Rota apud Ludouif. decif. 4. num. 2. *O* ibi additio lit. A. & decif. 569 num. 4. vbi fuit dictum possessionē, ex qualis sumit initium, non esse manutenibilem, Cancer lib. 3. variar. capit. 4. num. 95. & 96. Fontan. de pact. nupt. tom. 2. claus. 7. gloss. 3. part. 10. num. 56. & 57. Ramon consil. 56. n. 5. 6. & sequent. & consil. 58. num. 3. Posthio obseruat. 17. num. 44. cum pluribus sequent. Se qui habet possessionem litigiosam, non est legitimus contradictor. Rota decif. 348 num. 13. d. tomo unico anni 636. Ludouif. decif. 206. num. 6 vbi additio. Burat. decif. 431. per totam, que est in nostris terminis: nam fuit ibi resolutum possessionem attentatam, & litigiosam non debere attendi ad constituendum aliquem legitimum contradictorem.

193 Quarto, nam dicta possessio fuit inutilis, & instrumentalis: nam D. Martinus illius virtute nil exigit, nec fructus percepit uti possessor, & similis possessio sufficiens non est ad manutentionem, quando aliud extitit in possessione, vt per Posthium. obseruat. 21. num. 25. usque ad 30.

194 Et ut possessio instrumentalis dicatur, sufficit quod qui est in ea cipiliter possideat, t. quod meo, g. final. l. peregre, g. fin. ff de acquir. poss. Rota per Ludouif. decif. 159 num. 1. & decif. 582. num. 4. Posthium. d. obseruat. 21. nu-

356 usque ad 42. que conclusio nostro casui adaptatur, nam D. Martinus non continuavit possessionem, nec illius virtute aliquid exigit.

195 Et quamvis sit probatum D. Martinus habuisse certas domos, hoc non fuit virtute possessionis, quam earum uti haeres accepit, sed iure familiaritatis, nam D. Martinus erat in praedictis dominibus cum genero, & nepote, quibus assit quoque decellerunt, vt est probatum à D. Maria, & tunc ab eis deiici nō poterat extante litis pendentia, & sequestro, & possessio familiaritatis nō relevat, nec est manutenibilis, l. qui iure de acquirend. poss. Posthium. obseruat. 54. vbi num. 15. & 18. exemplificat hanc possessionem inter cohæredes, & quando uxor post mortem viri remanet in possessione bonorum, quod isti dicantur iure familiaritatis possidere, & quamvis curauit D. Martinus exigere aliquos redditus ex bonis, administrator post decreta sequestri obtinuit, quod ei soluerentur.

196 Et non relevant locationes factæ à D. Martino, quia omnes fuerunt post petitionem tenutæ D. Mariae Damianæ.

197 Quinto, nam decretis visionis, & revisionis iussum fuit, quod horum bonorum sequestratio fieret, & quo qualibet possessio obtenta à D. Martino de Castejon fuit resoluta.

198 Et non obstat replicare sequestrum iudiciale, & necessarium non priuare possessione.

199 Nam in hoc pūsto est verā distinctio, sequestrum necessarium priuare possessione iam apprehensa, si hoc constet ex mente, & animo iudicis sequestrantis, vt ex Mandello consil. 75. num. 2. & consil. 78. num. 3. Menoch, & alijs obseruat Paz de tenuta cap. 10. num. 41. & 42. Rota per Ludouif. decif. 9. Et dubitari non potest ex allegatis, & ex mente Senatus evidenter colligi, ex sola bonorum sequestratione noluisse Senatum D. Martinum possidente, siquidem in petitione tenutæ possessione horum bonorum, & maioratus petiit D. Maria Damiana, & D. Martinus respondere noluit dicens nullum esse fundatorum consanguineum, & sic non esse locum remedio tenutæ, nam bona possidebat uti allodialia, & uti haeres sui nepotis, qui tanquam ultimus de familia de eis rectè potuerat disponere: & sic cum Senatus bona sequestrasset ex eo quod celsabat exceptio D. Martini, cum esset, qui ea uti bona maioratus intendebat, dubitari non potest voluisse eum non possidere.

200 Cui additur, quod plurimi possessio nis actus (vt supra notatum est) fuerunt lite pendente facti, & sic ex hac causa debuit dicta possessio sequestrari uti malitiosa, & attentata: in quo etiam calu amittitur possessio, ex sequestro superuenienti, Seraphinum decisiō 314. num. 4. additio ad Ludouif. dict. decif:

decis. 9. num. 14. Posthum. dict. observatio. 90. num. 11.

201 Et quod dicit. quod D. Maria potest uti sui patris hæres continuare possessionem, quam accepit, excluditur ex l. cùm hæredes, de acquirenda possessione, & ex dictis supra numero 187. quod hæres non potest, absque nova possessione apprehensam à defuncto continuare;

### PVNCTVS SECUNDVS.

In quo probatur immisionem à D. Maria Castel-  
jon petitam esse denegandam.

202 **P**urimā sunt fundamenta, quæ actio-  
nem D. Mariæ de Casteljōn excludunt.  
Primum, quod nunquam possessionem petiit  
virtute donationis, in qua bona, super quibus  
controversit, comprehenduntur, sed virtute  
testamenti, in quo non comprehenduntur;  
& sic petiit quod consequi non potest, & non  
petiit quod consequi poterat, si esset valida  
donatio: quia ppter actus sustineri non po-  
test, Rota per Farinac. decis. 285. n. 4. & 412,  
num. 2. part. 2. in recentior. vbi quod produc-  
tio unius tituli operatur, quod non possit alius  
producere, nec actus virtute ipsius conualidari,  
Gratian. tom. 3. capit. 573. num. 48. & 49. vbi  
tituto Felino & Romano resolutus, quod fa-  
ctum virtute unius tituli incongrui non susti-  
netur ex alio congruo, & sic petita possessio,  
quando alia non obstant, dari non potest,  
nam est contra titulum, cuius virtute petitur.

203 Et si iuxta resolutionem Argel. de le-  
gitim. contrad. quæst. 10. num. 132. & de adipisc-  
end. quæst. 35. art. 10. num. 5. 10. art. 19. n. 982,  
qui est hæres pro parte, si in solidum posses-  
sionem apprehendit, irritatur in totum, ex l. si  
non fortē, §. Si centum, & ibi Iason. num. 2. ff.  
de condition. indebiti, Rota per Ludouic. decis.  
198. & ibi additio, quanto fortius est denegan-  
da possessio petita virtute tituli incompeten-  
tis, ad quod sufficit, quod sit aliqua incertitu-  
do, vt per Menoch. de recuperand. remed. 9. nu.  
221. vbi quod quando est incertudo, nulla  
potest queri possessio, Marta de success. 4. part.  
quæst. 16. artic. 3. num. 16. quæ comprobantur  
ex additione ad glossam in l. Bebius Marcellus  
de pac. doralib. vbi via executiva intentata vir-  
tute unius scripturæ, nec sustineri, nec prose-  
qui potest ex alia, cuius virtute non fuit petita,  
quod latè explicat Giurba. decis. 10. num. 11.  
Costa Sicutus conf. 19 n. 24. & n. 25.

204 Nec obstat replicare D. Mattinum  
vtrōque titulo, testamenti, & donationis iu-  
vari: nam non habet fundamentum, ex l. se-  
quens quæst. 70. de legat. 2. vbi probatur, quod  
in institutione hæredis, non comprehendun-  
tur bona prius donata, & legis calus est, quod  
maritus uxori donauerat certa bona, quæ qui-  
dem donatio erat reuocabilis ex titulo de do-  
nationibus inter vitum, & uxorem, & postea

maritus eam hæredem instituit: & dicit tex-  
tus, quod in institutione hæredis non compre-  
henduntur bona ei donata, & ita notant Bart.  
& Doctores ibi, idem Bart. in l. Marcellus, §.  
Quidam liberis, num. 4. & ibi Socin. ff. ad Tre-  
bellian. Peregrin. de fideicommiss. art. 6. num. 1.  
& per totum, Ciriac. tom. 2. controuers. 283. n.  
26 Fusar. quæst. 632. num. 1. & per totam, vbi  
num. 19. id ampliat ad donationem causa mor-  
tis, quod licet morte confirmetur, non tamen  
comprehenditur in institutione hæredis, nec  
in restitutione fideicommissi, Thomas. tract.  
5. de Trebellianica tit. 8. cap. 29. pag. 445. vbi  
loquitur de donatione reuocabili, Fontanella  
de pac. nuptial. tom. 1. claus. 4. gloss. 5. num. 52.  
Surd. decis. 93. Cutelli de donation. tractatu 1.  
di curs. 2. partic. 10. num. 84. & 85. Castillo. tom.  
1. de usufructu capit. 39. num. 33. cum sequent.  
vbi resolutus, quod in dispositione generali, in  
qua bonorum ususfructus legatur, non com-  
prehenditur donatio anterior bonorum ma-  
ioratus iam insituti, quamvis sit reuocabilis.

205 Et quando D. Maria iuaretur dona-  
tione, obliabat ei etiam non potuisse suū con-  
sobrinum derogare institutioni alterius ma-  
ioratus antea insituti, ex dictis supra num. 13.

206 Tertio comprobatur ex eo, quod est  
legitimus contradictor ille, qui allegat bona,  
de quibus dispositio testator, esse talis qualita-  
tis, quod de eis nichil potuit disponere, vt per  
Cavalcan. decis. 45. 1. part. in addii. ex num. 5.  
cum sequent. pag. mihi 242. vbi probat dona-  
tarium virtute donationis irreuocabilis factas  
a testatore impedire posse hæredis possessio-  
nem, sequitur Castillo tom. 3. cap. 24. nu. 106.  
Rota per Farinac. decis. 270. num. 2. part. 1. in  
recent. Marta de success. legal. 4. part. quæst. 16.  
art. 2. num. 36. & sequent. quam conclusio hec  
admittit Argel. de adipiscend. possess. quæstio. 3.  
art. 15. ex num. 805. 816. cum sequent. quando  
donatio est perfecta, & continet clausulam  
constituti, & facultatem capiendi possessionē  
propria autoritate, vel quando possessio ha-  
redis est incopabilis cum donatione, quod  
latè explicat vsque ad num. 834.

207 Et qui habet titulum ab illo, qui bo-  
na vii maioratus possedit, non potest impedi-  
re, vt legitimus contradictor, possessionem  
petitam viri ut antiqui maioratus, vt per Argel.  
de legitim. contradictione, quæst. 2. art. 5. num.  
180. cum quæst. 70. & latius quæst. 7. art.  
7. num. 135. cum sequent. & num. 144. 145. vbi  
in individuo hanc ponderationem facit, quod  
cum hæres grauatus debeat obseruare volen-  
tatem testatoris, possessionem transferre non  
potest, nec titulum habile tribuere in præiu-  
dici successoris, Rota apud Burat. decis. 494.  
n. 1. & 2. vbi dicit, quod Rota cōcedit immis-  
sionem fideicommissario cōtra tertium pos-  
sidentem virtuti tituli habite ab hærede gra-  
uato, Ponte. decis. 40. n. 14. & 43. vbi quod  
titu-

titulus possessionis habitus à possidente feudi, non iuvat ad oppotendum contra successorem pro impedienda feudi possessione, sequitur Rouit. consil. 98 num. 9 & 10. & cons. 99. num. 2. lib. 2. & hanc conclusionem in specie maioratus probauit Molin. lib. 3. cap. 13. num. 52. usque ad 55. vbi resoluti possidentem bona maioratus titulo venditionis, vel donationis ab ultimo possidente, non esse legitimū contradictem, ut impedit successori maioratus tenutam, ex eo quod notoriè constat de nullitate tituli, sequitur Molina Theolog. disputat. 638. num. 4. pagina mihi 144. Auend. in l. 45 Tauri, gloss. 10. num. 1. additio ad Molin. sup. dict. num. 52. usque ad 56. & sic prædicti non potuerunt esse legitimi contradicentes ad impedimentum tenutæ remedium D. Mariæ Damianæ, quæ bona vti antiqui maioratus intendebat.

208 Quarto, vitium inuisibile testamenti ex eo, quod filius, qui debebat institui, fuit preteritus, vel iniuste exhaeredatus, impedit possessionem, ex l. fin. nam ex hoc defectu comprobatur testatorem disponuisse prout nō potuit, Castill. tom. 3. cap. 24. num. 148. Rota per Farinac. decis. 526. part. 1. in recent. latè Merlino controver. 10. num. 1. & sequent. & num. 6. & per totam, Marta de success. legal. part. 4. quest. 16. artic. 2. num. 15. pag. 214 exceptio quod testator nō potuit testari eo modo, quo disposuit, impedit missionem in possessionē, Argel. de adipiscend. q. 3. art. 10. n. 491.

209 Quinto etiā adaptatur quællio, quando litigantes, duobus titulis à diversis personis habitis iuuari intendunt, quia tunc in remedio possessorio adipiscendæ præfertur, qui meliorem titulum habet, vt per Argel. de legitim. contradic. quest. 4. art. 4. num. 149. vbi dicit, quod qua ratione est legitimus contradictor, qui habet à testatore titulum, & admittitur contra habentem possessionem ex testamento ipsius testatoris, eodem modo qui aliū titulum ab alio habito producit, & cū eo prætendit, & in hoc punto, Rota apud Farinac. decis. 36. num. 3. part. 1. in recent. resoluti titulorum diversitatem ad esse, quando proueniunt ab eodem fonte, vel causa, seu persona, quod rectè procedit aduersus D. Mariæ actionem: nam ius D. Mariæ Damianæ dimanat à successore anteriori, & sic non prouenit ab eodem fonte.

210 Et conclusio ab Argel. supposita certissima est, scilicet, quod validior dispositio minus validæ præfertur, ut per Menoch. de adipiscend. remed. 4. num. 579. 581. Peregrin. in art. 48. num. 43. Marta de success. 4. p. quest. 16. art. 3. num. 35. Rota. dict. decis. 36. n. 3.

211 Denique in nostro Regno ex l. 2. & 3. tit. 14. part. 6. quando qui possessionē contradicit, offert incontinenti docere de suo titulo, debet admitti ad iudicium summarium,

& executiū, l. fin. quod ex l. 2. notat Castill. dict. capit. 24. num. 165. vbi refert Burgos de Paz, & Parlador.

212 Et l. 3. notabilior est, nam loquitur in duobus testamentis, quibus iuuantur oppositores, scilicet quod iudex in ipso summario iudicio potest, & cognoscere debet quale sit legitimū, & possessionem melius probantidare, & sic si constat D. Iosephum minorem non potuisse de his bonis disponere, quia sua non erant, & quod per mortem D. Mariæ Damianæ allodialia remanserunt, consequens est, quod in hoc concursu debet præferri Dominica Alvarez, quia illius ius deriuatur à sua consobrina, quæ potuit disponere de dictis bonis vti allodialibus.

213 Ex his facile satisfit fundamentis, quæ ad petendam hanc possessionem D. Mariæ de Castejon proponit, siquidem ei obstat requiritum leg. fin. C. de edict. D. Adrian. tollend. cum hæc bona non remanserint vti hæreditaria patris, vel consobrini.

214 Nec obstat quod primo loco dicitur, quod postquam Senatus impedimentum sequestri sustulit, possessionē D. Martinus continuare potuit, vt fecit.

Quod nec facto, nec iuri huius causæ adaptatur, nam ex decreto Senatus à partibus approbato, in quo bonorum fuit sequestratio sublata, quia cessavit illius causa, negatur D. Mariæ possessio bonorum vti allodialium, & Lancellot. cap. 1. l. num. 44. loquitur quando iudex, qui impedimentum sequestrationis auferat, declarat aliquem esse legitimū posse fore, quod celsat in hoc casu.

215 Secundo dicitur, quod cum oppositores non possint proponere hoc possessorium remedium, dubitari non potest D. Mariam illud posse intentare, vt fecit tamen quam sui patris hæres, cui dictum remedium, & interdictum adipiscendæ comperebat, vt sui neiporis hæredi, quia hoc remedium hæredi hæredis debet concedi.

216 Sed respondetur hanc conclusionem Dominicam Alvarez non solum non negare, sed potius ea iuuari num. 163. pro response, cuiusdam oppositionis contrariae, & idem allegans D. Maria, fortior remanebit satisfactio, & oppositio exclusa, & quod à nobis negatur, est D. Martinus competuisse hoc possessorium remedium, hec illud intentare potuisse, existente plena possessione, quia bona maioratus D. Mariæ Damiana possidebat; & quod absque dubio prædicta erat eorum possessor, & sic legitimā contradictrix ad impedientium hoc remedium D. Martinus, vt supra num. 13. & idem ius habet Dominicā Alvarez eius amita, quia per mortem consobrinæ hæreditas iacet, super qua controvenerit.

Tertio opponitur, quod ad impediendam missionem in possessionem, quam hæres ma-

tendit, ille legitimus contradictor iudicatur, qui ostendit in continentia ius superiorius, & potentius iure heredis, qui eam virtute testamen- ti prætendit.

217 Hæc conclusio verissima est (vt nos fatemur) & solùm eius adaptatio notatur: nā factum, quod supponitur, falsum est, quia D. Maria, & eius pater, non petierunt virtute vinculi instituti à D. Iosepho, sed testamenti, & sic eis dictum remediar non competere cer- tum est, vt supra ex num. 202. & si petiſſilent virtute vinculi, eis obstabat maioratus ante- rior, & antiquior, cuius virtute D. Maria Da- miana successit, vt supra num. 13.

218 Et modus percipiendi hanc quæſtio- nem est, Dominicam Aluarez petiſſile horum bonorum possessionem vii heredem ab in- testato consobrinae, & hoc D. Mariam impe- dire, & contra eam non esse legitimam con- tradictricem, quia non docet de suo bōno iu- te, nēc incontinenti, vt debet, iuxta doctrinas in contrarium allegatas.

219 Cui additur, quòd quando quæſtio à contrario proponeretur, & Dominica Alua- rez esset legitima contradictrix contra D. Ma- riām Castejon intentantem remedium im- missionis, debebat etiam obtainere, quia sua iu- ra potiora probauit, vt supra n. 206. & hoc se- cit incontinenti, & intra tempora à lege in- ducta, quod in termino probatorio concessio à Senatu in hac causa ostendit absque alia di- latione, vt Doctores exemplificant verbum, *In continentia*, in quo legitimus contradictor suam oppositionem debet verificare, vt per Molin. lib. 3. cap. 13. num. 15. & 16. Bellon. de po- testate eorum, que sunt incontinenti lib. 1. capit. 105. ex num. 7. usque ad fin. Garcia de beneficijs parc. 1. c. 5. n. 547. vbi dicit esse positum in ar- bitrio iudicis iudicare, quæ exceptio requirat altiorem indaginem.

220 Quarto infert ex dicto allegatio con- traria quod vitium iniussibile testamenti, nō impedit immissionem in possessionem hære- di scripto, cùm sit cōtrarium certius, & quòd exceptio, quòd testator non potuit de bonis disponere in continentia probata, est legitima, vt supra num. 208.

221 Quinto opponitur D. Aluarez con- tradicere non posse petitionem D. Mariæ de Castejon, quia quæſtiones iuris ambigui, & quæ requirunt altiorem indaginem, referan- dae sunt ad petitorum, nam vt proximè dictū est, positum in arbitrio iudicis est, quæ exceptio requirat altiorem indaginem, & si recte animaduertitur, videbimus conclusionem hanc esse contra D. Mariam Castejon.

222 Nam si consideratur Dominica Alua- rez, utractrix in hoc possessorio remedio, & D. Maria vt contradictrix, inuenitur non esse le- gitima ex supra notatis à num. 205. & quia secundum doctrinam Bartoli communiter

receptam in l. fin. C. de edict. D. Adrian. tollend. num. 21. versic. Aut comparet aliquis, legitimus contradictor, vt admittatur, debet allegare cō ſimilem titulum, prout aliud testamentum, quo possit impugnare intentionem hæredis potentis immisionem, sequitur Farinac. deciſ. 711. num. 1. & 2 tom. 1. in recentior. & D. Maria de Castejon titulum diuersum produ- cit, & habitum à persona, quæ testari non po- tut, vel de bonis disponere, qui erant antiqui majoratus, quibus accedit incapacitas D. Ios- ephi minoris ad disponendum de dictis bonis, quæ est notoria, & comprobata ex sola titulorum inspectione, & sic D. Maria tantum allegat prædictam D. Mariam Damianam, non esse filiam sui partis, cùm sit in notoria filiationis quasi possessione, & cognitione harum actionum, & replicationum requiri altiore- rem indaginem, & interim filia debet mitti in poſſessionem bonorum, ex traditis ab Argel. de legitim. contradic. quæſt. 19. num. 15. vbi postquam hanc quæſtionem latè dispùravit, dicit, quòd quantum constet bona esse feuda- lia, si aliqua tamen vrget ratio persuadens fo- minam esse successibilem, debet mitti in poſſessionem bonorum, non obſtantē exceptio- ne feudalitatis, & quòd in his terminis pro- cedunt fundamenta pro sua parte allegata ex num. 36. quod repetit de adipiscenda poſſeſſione quæſt. 2. artic. 11. ex num. 323. & quæſtio. 3. num. 488.

223 Quod comprobatur ex traditione ipsius Argel. de adipiscenda quæſt. 3. num. 490. vbi resoluti, quòd quando ex inspectione te- stamenti conſtat filium poſſessionem peten- tem esse spuriū, non potest remedium poſſessorum intentare, quia petitur virtute testa- menti, in quo non potuit hæres institui, quod latè prosequitur ex num. 501. cum ſequent. at- que ita D. Maria ex testamento ſui consobri- ni poſſessionem bonorum petere non potest, quia cùm ſint maioratus, & ea extranea à pa- rentela institutorum, maiorem incapacita- tem habet ad ſuccedendum, quā spurius in bonis patris.

224 Et replicatio contra D. Mariam Da- mianam, quòd non ſit ſoror ultimi poſſesso- ri maioratus, negari non potest, quod requi- rat altiorem indaginem, p̄maximè exiſten- te in quaſi poſſessione filiationis, & ita ex ea non potest dubia fieri exceptio, & oppositio ſupra dicta, Rota deciſ. 57. num. 4. & 5. part. 2. diuersorum, & per Farinac. deciſ. 526. num. 12. & 539. num. 9. part. 2. in recent. Manento conf. 141. num. 41. cum ſequent. volum. 2. Garcia de benefic. part. 1. cap. 5. num. 558. Poſthum. de mo- nutentione ob. cruat. 42. num. 143. vbi latè pro- bat, quod exceptio non efficitur turbida, per replicationem actoris.

225 Et Garcia vbi proximè, nu. 559. re- fert quādam decisionem coram Pamphilio in una Imo-

*Imolensi bonorum 21. Maij 1593. vbi quod ad impediendam missionem ex l. fin. admittitur exceptio defectus proprietatis, de qua incontinenti docetur, non obstante quod videatur requiri altiorem indaginem, quod illa alio in dago oritur ex replicatione heredum, Argel. de adipiscend. poss. q. 2. n. 333.*

226 Deinde opponitur contra Dominicam Alvarez non posse esse legitimam contradictionem ad impediendam immisionem in possessionem D. Mariae, quia non possidet bona, super quibus controvenerit.

227. 228. Ad quod respondeatur primo, quod non intrat haec oppositio, quia ex actis notariorum est neutrari partem possidere, & sic suum in alio ex membris distinctionis, Bart. in l. fin. C. de edict. D. Adrian. num. 21. de qua supra num. 222. vbi dicit, quod cum neutra pars possidet, disentiendum est de potioritate iurium, sequitur Rota decis. 184. num. 1. tom. 5. in recentior.

229. 230 Secundo, quod ut dictum est n. 211. 212. in nostro Regno ex l. 3. tit. 14 p. 6. sublata est disputatio Bart. quia ex dict. l. 3. efficitur legitimus contradictor veniens ex alio testamento, quamvis non possideat.

231 Tertio, quod habens facultatem capiendi possessionem propria auctoritate, est legitimus contradictor, quamvis non possideat, ut per Rotam decis. 185. num. 8. & 9. tom. 5. in recentioribus.

232 Quarto, cum Dominica Alvarez in hoc iudicio fuerit admissa, debet de suo iure cognoscit, quamvis ea principaliter iudicium possessorum non intentasset. Rota dict. decis. 185. num. 10. tom. 5. in recent. Castillo tomo 3: cap. 24. num. 161. cum tribus sequent.

233 Quinto, est etiam legitimus contradictor de iure communii, qui docet in continentie de iure suo, etiamsi non possideat, Castillo dict. cap. 24. num. 165.

Ex quibus manifestè apparet in hoc iudicio adipiscendæ potiora esse iura Dominicæ Alvarez.

234 Ordo iuris postulat, ut prius de possessorio, quam de petitorio cognoscatur, & n. 235.

235 Presertim quando suspenditur petitorum. Cap. Pastorialis, de cauf. pos. Clement. unica eod tit exornantur.

237 Suspensio petitorij operatur suspensionem iuris distinctionis iudicis, ad hoc ut non possit de petitorio cognosci, nisi prius decisio possessorio.

238 Presertim quando iurisdictio est limitata.

239 Vel quando est commissio, ut iudex cognoscat de petitorio, & possessoria, quia adhuc de possessorio prius cognoscere debet.

240 Tertijs oppositio non retardat prosequitione litis pendentis, etiamsi utriusque litigantis iura velit infringere, & num. 21.

242 Suspensio petitorij procedit, etiam respectu tertij oppositoris, quando ius suum est connumerandum, cum iure perturbantis, & n. 243.

244 Commissione ut index procedat super petitorio, aut possessorio ad suum arbitrium, intelligitur ut prius de possessorio cognoscatur, Arbitrium deber est regulatum, & n. 45.

245 Arbitrium in Rota non intrat ad cognoscendum de petitorio omnijs possessorio, constito de possessorio, & n. 247.

248 Pax de tenuta cap. 70. explicatur, & num. 249

250 Scriptura publica si de falso redarguitur, non probat, si non comprobetur, usque ad 253.

254 Redargutio instrumenti resultat ex allegatione, quod non sit publicum, nec authenticum.

255 Antiquitas scripturarum debet aliunde probari, quam ex ipsarum inspectione.

256 Antiquitas scripturarum non probat absque alijs administris.

257 Notarij legalitas debet etiam comprobari exhibendo alia eiusdem instrumenta, cum quibus fiat comparatio instrumenti antiqui exhibiti.

258 Instrumenta antiqua per verba enuntiationis loquenter non probant auctoritatem, consanguinitatem, vel parentelam in antiquis, nisi de quolibet gradu absint duo instrumenta à diversis personis emanata, & illis gratibus.

259 Fama, ut probet in antiquis, debet probari duobus testibus, & num. 260.

260 Filiatio non probatur ex testamento antiquo, in quo aliquis, ut filius est meres institutus.

261 Verba enuntiationia in antiquis ut probent, debent esse præcisa, & necessaria ad actum qui geritur, & non otiosè prolatæ.

262 Verba enuntiationia debent preferri à personis non suspectis, & interesse in enuntiatione non habentibus.

263 Identitas personarum probanda est.

264 Identitas probatur ex identitate nominis, cum duabus demonstrationibus.

Bart. in l. demonstratio falsa, quæst. 7. num. 14. de condit. & demonstrat exornatur.

265 Quæ resolutio procedit à fortiori in nominibus vulgaribus, quæ sunt Petrus, Ioannes, & Franciscus.

266 Legitimitas auctoritatis debet plenè probari.

267 Cognominis identitas, non probat consanguinitatem, cum alijs similis cognominis.

268 Familiarum diuersitas arguitur ex aliqua differentia inter eas.

269 Lotherius de re benefic lib. 2. quæst. 11. nu. 120. expenditur circa identitatem probandam.

270 Gratian. tom. 3. cap. 554. num. 56 declaratur,

- 272 Nominis identitas non inducit identitatem personae, & num. 273.
- 274 Testes de auditu, nihil probat, & num. 275.
- 276 Tempus antiquum dicitur centum annorum & num. 277.
- 278 Allegans in loco non esse testes antiquos, debet id probare.
- 279 Fraternitas antiqua bene probatur, non probato communī sūpīte.
- 280 Antiquitas temporis quomodo sit compundanda.  
Decius consil. 13. num. 8. versic. Dato, expenditur.
- 281 Consanguinitatis dubia probatio eam non probat.
- 282 Testes de parentela in antiquis debent depōnere cum requisitis, cap. licet ex quadam, de testibus, & quomodo id intelligatur, usque ad 284.
- 285 Parentela antiqua in causis grauis praediūci debet probari cum requisitis d. cl. cap. licet ex quadam, & num. 286.
- 287 Quilibet gradus debet duobus testibus probari in antiquis.
- 288 Testes de auditu post motam litem, nihil probant, & num. 289.
- 290 Vno gradu, quo iungitur ascendētia, non probato, probatio corruit.  
Mantica decis. 88. n. 2. expenditur.
- 291 Ascendētia antiqua adminiculis probatur, dommodo quodlibet adminiculum sit perfectum in suo genere, & omnia tendant in eundem finem, usque ad 293.
- 294 Rota decis. 187. num. 8. & 18. tom. 5. in recent. expenditur.
- 295 Proclamata publicata super perquirendo domino alicuius rei, mouentia ut comparent, alias excludetur, confirmant dominium ad favorem illius, qui proclamata publicari curauit.
- 296 Scripturarum extractio, absque decreto iudicis fieri non potest, & n. 297.
- 298 Probationes super puritate sanguinis ad admissionem in Collegio habenti statutum puritatis sanguinis, non probant oppositori ad aliud Collegium simile statutum habens.
- 299 Valasc. consultat. 10. explicatur.
- 300 Probationes factae in iudicio summario, non probant in plenario, etiam inter easdem partes.
- 301 Probationes factae in iudicio non solum sumario, sed in quo proceditur iuris ordine non seruato, non probant inter easdem personas.  
Cap. veniens el 2 de testibus, explicatur.
- 302 Probationes ad unum finem factae in uno iudicio, non probant in diuerso ad diuersum finem.
- 302 Probationes in uno iudicio factae non probant in alio.
- 304 Instrumentum ex alio transcriptum nihil probat, usque ad 306.
- 307 Archivium Monasterij priuati robur, non præstat instrumentis in eo inuentis.
- 308 Archivium publicum robur non præstat instrumentis, non probato quod ex eo extracta fuerunt, & quod ibi per multum temporis spatium fuerunt custodita.
- 309 Diversitas personarum arguitur ex diversitate demonstrationum, usque ad 312.
- 313 Testes de auditu ubi admittantur, debent concorditer deponere, & quilibet defectus eos repellit.
- 314 Probatio de auditu nihil probat, quando auditus in aliquo prosternitur.
- 315 Garcia de nobilitate glo. 18. 9. 1. num. 13, expenditur.
- 316 Pama in antiquis ut probet, debet esse constans, & perpetua, illa sa, & invariabilis apud omnes.
- 317 Nihil contra eam debet obstarre.
- 318 Testes inter se contrary, siue ab eodem, siue a diversis producantur nihil probant.
- 319 Instrumenta ut sint antiqua, debet eorum data centum annos excedere, & tempus litis debet de antiquitate adimi, & deduci, & num. 320.
- 321 Probatio consanguinitatis inter transversales strictius facienda est.
- 322 Et requiritur, quod probatio concludat de tractatibus inter eos.
- 323 Tractatus leue adminiculum consanguinitatis est.
- 324 Cum facile possit aliquis frater, & consobrinus vocari.
- 325 Tractatus, & nominatio ad probandam parentelam in re graui nihil probant.
- 326 Possessor maioratus non potest in agnitione alicuius consanguinei successoribus praedicare.
- 327 Heredi ab intestato sufficit, quod oppositores suam consanguinitatem dubie probent.

## ARTICVLVS QVINTVS.

Contra Gabrielem de Vargas, & ceteros oppositores, qui se huic causa opposuerunt, haec bona esse maioratus intendentes.

- 324 **H**æc causa in possessorio adipiscenda l. fin. C. de edict. D. Adrian. tollebatur. & l. Soriae decidenda est.

Nam libellus Dominicæ Aluarez præcisè petitorium adipiscendæ concludit, suspenditque petitorium, & protestatur non consentire, quod de proprietate disceptetur, & cum oppositores ius proprietatis in discursu litis immiscuissent, Dominicæ Aluarez contradixit, petitiisque repelli articulos proprietatem concernentes, & cum hoc iudex, qui de negotio cognovit, ad difinitiuam referuisset, appellatione interposita a Dominicæ Aluarez obtinuit sententiam, per quam fuit con-

firmata prima, & iussum, quod talis diffiniti-  
ua litis esse super possessione, & ita in ea deci-  
denda est.

235 Primo, quia hoc petit iuris ordo, quia  
cum nullus ex oppositoribus sit possessor, ne-  
cessarium est, quod prius index unum ex eis  
mittat in possessionem, cuius respectu alii sint  
actores, l. ordinarij, C. de rei vindicatione, l. in-  
certi, C. de interdictis, l. si de vi, ff. de iudicis,  
Decius consil. 407. in principio, & consil. 424.  
num. 2. & hoc procedit etiam de iure Cano-  
nico, Abbas in capitulo cum ad sedem, de restitu-  
tione spoliatorum, Gozadin. consil. 10 num. 15.  
Argel. de legitimo contradicitor. queff. 2. artic.  
1. num. 39. cum duobus sequentibus, Posth. de  
manutentione obseruat. 7. num. 15. versic. Cum  
ordo iuris sit, vbi pluribus decisionibus citatis  
dicit ordinem iuris esse, vt prius de possessio-  
ne, quam de proprietate cognoscatur, Paz de  
tenuta cap. 70. num. 1. & sequent. & num. 8. Ro-  
ta per Farinac. decif. 507. num. 8. tom. 2. in po-  
sthum.

236 Secundo hoc planius procedit, cum  
Dominica Aluarez suspenderit petitorium,  
petieritque, quod de possessorio cognoscatur,  
quam suspensionem de iure potuit face-  
re, cap. Paßorialis, de causa possessionis, &  
proprietatis, Clément. 1. eodem titulo, Rota per Lu-  
douij. decif. 307. num. 19. Marescot lib. 1. va-  
riar. cap. 36. num. 1. & 2. vbi post Rotam, &  
alios dicit hanc suspensionem, vt prius de pos-  
sessorio, quam de petitorio cognoscatur, pro-  
cedere in quolibet interdicto possessorio, tam  
adipiscendae, quam retinendae, & recuperan-  
da possessionis, & quod haec suspensio potest  
sieri semel, & pluries, Rota decif. 8. de causa  
possessionis, in nouis, Marescot. dict. capit. 36.  
num. 5. & potest fieri haec suspensio in prima,  
secunda, & tertia instantia, Marescot ibi num-  
mer. 6. & 7. quod probatur in dict. Clementin.  
1. de causa possessionis, cuius decisio procedit  
etiam in profanis, Paris. consil. 70. num. 9. lib.  
3. Gozadin. consil. 10. num. 21. Marescot. dict.  
cap. 36. num. 7.

237 Tertio, suspensio petitorij operatur,  
quod iurisdictio iudicis suspendatur, ita vt non  
possit, nisi de possessorio cognoscere, Socin.  
in l. rem, que nobis 9. num. 19. versic. Secunda ra-  
rio, ff. de acquirend. possess. Marescot. dict. cap.  
36. num. 5. Posth. dict. obseruat. 7. num. 21. &  
22. vbi addit suspensionem tollere iurisdictio  
nem iudicis, ita vt non possit de petitorio cog-  
noscere.

238 Quarto, haec conclusio est indubita-  
bilis extante re indicata iam relata, quia prae-  
cipitus sententiam diffinitiū in hac causa  
preferendam debere esse super possessorio,  
Posth. d. obseruat. 7. n. 26. qui loquitur in casu  
difficiliō, quando commissio iudicis est, vt  
procedat super possessorio, & hic habemus  
rem indicatam, vt illud solum decidatur.

239 Quinto idem procederet, si commis-  
sio esset, vt iuper possessorio, & petitorio pro-  
cederetur, quia adhuc suspenso petitorio com-  
missio exequenda esset, pronuntiando super  
possessorio tantum, Posth. dict. obseru. 7. num.  
52. & 53.

240 Nec obstabit dicere pro parte D. Ioā-  
nae Zurite eam se opposuisse liti iam cœptas  
inter Dominicam Aluarez, & D. Mariam de  
Castejon, & quod debet super proprietate audi-  
diri, & sic debet intelligi suæ oppositionis ad-  
missio.

241 Nam respondetur primo, in admis-  
sione dictæ oppositionis disceptatum fuisse  
de vulgari, ac quotidiana questione, vtrum ter-  
tius liti se opponens ad infringenda iura litig-  
antium, debeat admitti in statu, & terminis,  
in quibus causa reperitur, vel debeat ipsius  
prolouquio retardari. In qua questione di-  
uersæ sunt opiniones, & certior est resolutio  
Couarti. in practicis cap. 14. num. 4. dicentis  
item inter colligantes retardandam non es-  
se, quæ resolutio communiter recepta est, vt  
per Rōuit. decif. 1. num. 1. 2. versic. Alij verò fu-  
runt, & in hunc modum fuit decretum Curiae  
Prætoris, quod cum dicto temperamento fuit  
a Senatu confirmatum, concedendo prædictę  
D. Ioannę breuem terminum, ad hoc vt de  
iure suo potuisset docere, & sic credendum  
est Senatum hoc sensisse, & noluisse iudicium  
possessorium vulnerare, nec inhibitionem per  
rem iudicatam decretam moderari.

242 Secundo, quia quando ius tertii op-  
positoris opponentis se iudicio possessorio  
connexum est cum iure litigantium, videtur  
in spolio, & perturbatione consentire, & sic  
respectu, ipsius petitorij suspensio procedit;  
Butr. in cap. in literis, de restitut. spoliator. num.  
2. 3. & ibi seroi. num. 102. vers. Vel dici potest,  
& num. 103. Rota per Farinac. decif. 23. num.  
2. part. 1. in recentior. Cancer. lib. 2. variar. cap.  
16. num. 93. in 2. editio. quod mirè huic casui  
conuenit: nam ius D. Ioannæ de Zurita con-  
nexum, & coniunctum est iuri ligatiū, cum  
omnes prætendant bona esse maioratus: ex  
quo impeditur Dominica Aluarez apprehen-  
dere possessionem bonorum, super quibus  
lis vertitur.

243 Denique nulla potest esse disputatio,  
cum habeamus rem iudicatam, quod lis super  
possessorio terminetur: itaque Senatus, qui op-  
positionem D. Ioannæ admissit, eam moderar-  
tus fuit, vt solum esset super possessorio.

244 Nec obstabit, si iterum à dicta D. Ioā-  
na opponatur, quod attenta æquitate juris  
Regij debet pronuntiari super petitorio, &  
possessorio simul, iuxta quandam singularem  
resolutionem Francisci Sarmiento, quæ ad  
hoc solet allegari.

245 Cui satisfit primò, quod cum sit res  
iudicata, ad hoc vt prius de possessorio, quam  
H h de

de petitorio cognoscatur, eslet eam in pugna-  
re, vel contradicere, si prius vel eodem tem-  
pore de petitorio cognoscetur, vt in simili  
probat Lothes. de re beneficiaria lib. 1. quæstio.  
38. num. 103. 104. 105. Rota decij. 348. num.  
4. part. I. diuersorum, & cum eis Posthum. de  
manutentione obseruat. 7. num. 34. qui dicunt,  
quod etiam si in commissione dicatur, vt pro-  
cedatur tam in possessorio, quam in petito-  
rio, iuxta arbitrium iudicis: adhuc hoc arbi-  
trium extendi non potest ad cognoscendum  
de petitorio reiecto possessorio, quia eslet co-  
tra iuris ordinem, & dispositionem, & arbi-  
trium debet esse regulatum, & iuris commu-  
nis regulis conforme, Rota decij. 365. num. 4.  
& decij. 547. num. 1. & 558. num. 1. part. I. in  
recentior. Ludouis. decij. 189. n. 3. & decis. 221.  
n. 1. & 416. n. 4 & 405. n. 1.

246 Secundo, quod etiam in Tribunalis Supremo, & in Rota nunquam intrat arbitrium ad cognoscendum de petitorio, consilio de possessorio, Rota per Farinac. decif. 177. num. 1. 2. 3. part. 2. in posthum. reddens rationem, quod arbitrium debet esse regulatum, & iuris communis regulis conforme, & cum iure dispositum sit in l. ordinarij, C. de re vindicatione, & in l. incerti, C. de interdictis, quod prius cognoscatur de possessorio, quam de petitorio, Rota non potest arbitrari, quod hic ordo perueratur, & quod prius de petitorio cognoscatur, omisso possessorio, eadem Rota apud Farinacium decif. 365. num. 9. & 476. in principio, & per totam, part. 1. in recentior. & decif. 542. & decif. 698. part. 2. in recentior. vbi hec resolutio fuit approbata, quod arbitrium, quo Rota potest vti, non intrat quando constat de remedio possessorio alicui competenti.

247 Ex quibus patet Gabrielem de Vatgas & confortes haec bona, tanquam maioratus petentes audiri, non debere in hoc iudicio, cum illis obstat exceptio rei iudicatae, per quam eis remedium tenuta fuit denegatum in his bonis.

248 Nec pro se possunt allegare Paz de  
tenuta cap. 70. qui resoluti remedium possel-  
lorum super bonis maioratus posse intentari  
in Cancellaria, & illud prosequi postquam ad  
eam causa per Senatum remissa est: quia hoc  
procedit, ut ipse asserit, quando causa tenetur  
non decisa remissa est ex Senatu ad Cancella-  
riam, sed quando iam decisa remittitur, obstat  
I. 10. tit. 7. lib. 5. Recopilat. ad hoc ut non pos-  
sit itetum de iudicio possessorio agi.

249 Et quamvis ex his videatur opus non esse agere de exclusione horum oppositorum, ne tamen videar difficultatem effugere, accedo ad articulum

sextum.

**ARTICVLVS SEXTVS.**  
In quo probatur, Gabrielem de Vargas, & ceteros oppositores hac bona, tanquam maioratus pretendentes, non esse consanguineos, nec de familia funderorum.

250 **V**T clarius procedatur, de exclusione cuiuslibet oppositorum sigillatim agendum est.

*Exclusio Gabrielis de Vargas.*

251 **E**xclusio huius oppositoris procedit;  
etiam si causa super petitorio esset  
decidenda.

252 Quia suam prætensionem fundat in probatione scripturarum, & testim., & neutra illi potest opitulari.

253 Primo, instrumenta ab eo producta  
de falso sunt redarguta à Dominica Aluarez,  
& cum non sint comprobata, fidem non fa-  
ciunt, l. 115. tit. 18. part. 3. & cum Roderic Sua-  
rez, Paz in prax. 1. tom. p. 4. cap. 3. n. 16 ad fin.  
Parlad. lib. 2. rsr. quotid. cap. fin. 1. part. 8. l. 11. n.  
14. Simon de Praxis de interpret. vlt. volume  
lib. 5. interpret. 2. dubit. 2. solut. 4. n. 107. folio  
542. col. 3. Menoch. lib. 2. p[ro]fumpt. 78. n. 2.  
Malcard. conclus. 1097. n. 1. Pacian. de probat.  
lib. 2. capit. 21. num. 23. optimè Gonçalez ad  
regul. 8. Cancellaria gloss. 64. n. 6.

254 Ex iuxta resolutionem Gregorij in  
dict. l. 115. gloss. 1. vers. Sed si non ita dicatur, ad  
redargutionem sufficit negare instrumentum  
esse publicum, ad hoc pars producens tenea-  
tur illud comprobare.

Nec obstabit dicere, antiquitatem scriptura-  
tum illas sufficiēter comprobare absque alia  
verificatione, quia excedunt centum annos.

255 Primo, quia de antiquitate scriptura-  
rum debet constare aliter, quam ex carum in-  
spectione, quia qui instrumentum falsum fa-  
bricat, ei facere potest, ut ita conficiatur, ut ap-  
pareret videatur antiquum, Rota per Putean  
decis. 186. num. 2. lib. 3. in 2. edit. ibi: Quia quod  
instrumentum esset antiquum non probatur ex  
sola data, cum potuisse perinde novo sub illa da-  
ta, sequitur Ludouis. decis. 393. num. 2. & ibi  
addit. lit. A. Rota decis. 187. n. 10. & 11. tom. 5.  
in recent. edito anno 1636. Burat. decis. 290. n. 8.  
& ibi additio, lit. C.

256 Secundo, quod ultra antiquitatē scripturarum requiruntur alia adminicula, Cornicus consil. 142. num. 2. lib. 3. & consil. 24. lib. 4. Cratice de antiquitate temporum 3. part. Ie-  
tio. vidimus in genere num. 3. folio mihi 123.  
& Capit. Galeot. tom. 2. contyoversiar. 53. num.  
27. & sequent. dicit antiquitati instrumenti nō  
esse dandam tantam autoritatem, ut omnia  
suppleat.

257 Tertio, quia ad hoc, ut prædictæ scrip-  
turæ aliquod tomentum haberent, necessa-  
rium erat exhibere alia instrumēta, qua indu-  
bita-

bitabiliter essent eorundem notariorum, co-  
ram quibus exhibita confecta fuere, & quod  
cum illis compararentur, & in omnibus similia,  
& indiscrepancia essent, ut per Rotam decisio.  
199. n. 3 r. d. tom. 5. in recentio edito anno 1636.  
Gonçalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 64. num. 11.  
vbi quod requiritur ad cōprobationem scrip-  
turum, quod constet de legalitate notarij, &  
de recognitione manus, & signi, & hoc prae-  
cipue quando agitur de re grauis praeindicij,  
ut ibi nūm. 13. quod in hoc casu deficit.

258 Quarto, quia ad hoc quod instrumenta  
antiqua de filiatione, fraternitate, consan-  
guinitate, per verba enuntiatiua loquentia, ea  
probent, ultra antiquitatem requiritur, quod  
de quolibet gradu ad sint duo ad minus instru-  
menta à diuersis personis emanata, & quidem  
gravibus, & absque aliqua suspicione, quibus  
fides danda sit, ut per Aretin. in capit. cum cau-  
sam, de probationibus num. 22. & ibi Felin. nū.  
4. Peregrin. art. 43. num. 84. Marescot. lib. 1.  
variarum capit. 10. num. 6. Garcia de beneficj  
part. 7. cap. 15. num. 32. & sequent. & part. 12.  
cap. 2. num. 254 257. & 259 Farinac. decisione  
295. num. 6. & 7. part. 1. in recent. Franchis de  
cif. 357. num. 3. Gasto. tom. 6. cap. 123. num.  
8. & 9. Genua de verbis enunt. lib. 2. capit. 1. n.  
63. 85. Bardelon. consil. 49. num. 27. & 28. &  
num. 48. Lother. de re beneficiaria lib. 2. quest.  
111. num. 110. versic. Si vero agatur, & num.  
111. Trentacing. lib. 1. variar. titulo de verb.  
significat. resolut. 2. num. 84. Riccio in praxi iuri-  
ris patronatus resolution. 157. num. 4. colum. 2.  
Capitius Galeot. tom. 2. controvers. 53. num. 32.  
Alphonse de Leon de offic. capellan. questio. 4.  
prax. 3. num. 161. & sequent. pag. 282. 283. Fe-  
rentil. ad Butat. decis. 172. & num. 33. vbi ad  
longum.

259 Et ratio horum est, quia ex instrumen-  
tis antiquis aliquid enuntiatiibus inducit fa-  
ma. Bart. Baird Albert, & cæteri Doctores in  
l. cum aliquis, C. de iure deliberand. at vero du-  
bitari non potest eam non probari ex deposi-  
tione vnius testis super ea concludenter depo-  
nentis: à posteriori ergo probari non debet ex  
vnico instrumento, vel ex pluribus ab eisdem  
partibus emanatis, ut arguunt prædicti Docto-  
res in l. cum aliquis, C. de iure deliberandi, Soci-  
nus Senior consil. 194. num. 9. versic. Quod di-  
citur, lib. 2. Menochius consil. 409. num. 9. &  
10. lib. 5. Farinac. decis. 160. num. 6. vbi de ver-  
bis enuntiatiis in antiquis, quod non pro-  
bent, si in vnico instrumento fiat enuntiatio,  
& decis. 163. num. 2. qui loquitur de diuersis  
enuntiatiis antiquis: ultra cursum ceterum an-  
notum, quæ emanarunt à diuersis personis, &  
in diuersis scripturis, & ait quod resultat pro-  
batio famæ, & decis. 169. num. 2. vbi quod vni-  
ca enuntiatiua in antiquis nihil probat, & de-  
cif. 202. num. 1. & decis. 211. num. 1. & decis.  
295. num. 7. vbi de pluribus enuntiatiis ema-

natis ab eisdem personis, quod nihil probent,  
& decis. 312. num. 6. & decis. 472. num. 1. & de-  
cif. 541. num. 3. part. 1. in recent. vbi haec con-  
cluio latè comprobatur, Mantica decis. 83. n.  
4. Rota decis. 84. num. 4. vbi de duabus enun-  
tiatiis accedentibus pluribus instrumentis in  
quibus ea enuntiatiua refertur, & decisio. 366.  
num. 5. vbi de enuntiatiua vni instrumenti,  
quod etiam in antiquis nihil probet, tom. vni-  
co dñsorum edito anno 1636, seu tom. 5. in re-  
cent. idem tradit Trentacing. dict. resolutio. 2.  
num. 74. Genua dict. lib. 2. de verbis enuntiati-  
uis, cap. 1. num. 64. 65 Ex quibus haec est com-  
munis, & vera resolutio.

260 Et iuxta eam non potest Gabriel de  
Vargas assertam descendentiam à Didaco de  
Cuerba comprobare ex illis duabus scrip-  
turus.

261 Nam ex testamenti scriptura solum  
potest probari Didacum de Cuerba institutū  
fuisse hæredem à Ioanne Gonçalez de Cuer-  
ba, sed non fuisse eius filium: cuius declaratio-  
nē non est standum, ut per Marescotum lib. 1.  
cap. 70. num. 7. Lother. d. quest. 11. num. 112.  
qui resoluunt ex testamento antiquo, in quo  
quis est institutus, ut alterius filius, non proba-  
ri filiationem, & conducunt tradita per Ci-  
riac. tom. 2. controvers. 281. n. 22.

262 In his etiam terminis necessarium est,  
verba enuntiatiua ad probandam in antiquis  
famam, esse præcisa ad actum, qui celebratur,  
& non otiosè prolata, aut inutiliter, ut per Ma-  
thesilan. singul. 79 Lother. vbi proximē num.  
111. & idem verba scripture venditionis do-  
mus, in qua Didacus de Cuerba, & reliqui vē-  
dunt eam Secretario Camanes, aſſerentes esse  
fratres, & filios suorum parentum, non con-  
ducunt ad prædictam venditionem, siquidem  
sufficeret quod domus eorum esset.

263 Quibus additur, quod si hodie in hu-  
manis esset Didacus de Cuerba, & ageret de  
probanda sua filiatione, certum est reliquos  
fratres in scripture contentos in testes exami-  
natos non fore idoneos testes, cum sint fra-  
tres, & idem verba enuntiatiua ab eis prolata,  
non probant propter hoc interesse, ut per Are-  
tin. in capit. cum causam de probat. num. 13. &  
17. vbi Felin. notab. 4. Mantic. decis. 83. num.  
4. Rota per Farinac. decis. 678. num. 5. circa fi-  
nem tom. 1. in posthum. vbi haec ponderatio fa-  
cta fuit, scilicet verba enuntiatiua, quæ ponde-  
rabantur procedere ab interesse habētibus, &  
quod etiam enuntiatiua erat vniqa tantū, quæ  
individualis est decisio ad reprobationem ve-  
ditionis scripture, & illationis ex ea factæ.

264 Quinto, quod quando constaret cui-  
denter extitisse Didacum de Cuerba, & funda-  
tricis fratrem fuisse, & similiter Gabrielem  
de Vargas descendere à quodam Didaco de  
Cuerba, adhuc non posset obtinere, debebat  
enim probare identitatem ascendentis, & esse

fratrem prædictæ fundatricis, ut per Mascard. *conclus.* 874. *identitatem alicuius rei num.* 11. & 12. & de probanda identitate personarum, Bart. *in l. 1. num 3. ff.* si unus ex pluribus, Decius *confil.* 13. *num. 9.* qui loquitur in nostro casu, Menochi. *lib. 6. præsumpt.* 15. *num 37. & 38.* Galganeto *de condit.* part. 2. capit. 2. quest. *vlt. num. 8. pag. 265.*

265 Et ad probandam personæ identitatem, non sufficit probare extirile quendam hominem tali nomine appellatum; sunt enim necessariae aliae duæ demonstrationes cognominis, & patriæ, aut aliæ similes, ex doctrina Bart. *communitet recepti in l. falsa demonstratio.* ff. *de condit. & demonstrat.* *quest. 7. num. 14.* vbi exemplificat quando quis vocatur Petrus Martinus de Perusio: quo causa interueniunt nomen, cognomen, & patria, sequitur Decius *d. confil.* 13. *num. 9.* Menochio *lib. 6. præsumptio.* 15. *num. 40. & sequent.* Galganet. *dict. p. 2 c. 2. quest. vlt. ex n. 9. cū sequent. pag. 265.* Malcar-  
do *volum 7. conclus.* 504. *demonstratio falsa n. 2.* Lotherio *de re benefic.* *lib. 2. quest. 11 num. 121. 122.* vbi quod ex identitate nominis, & cognominis non probatur personæ identitas, sed requiritur alia demonstratio. Ciriaco *tom. 2. controvers.* 281. *num. 25. & 26. & num. 33.* Mieres *2 part. q. 7. n. 96. in 2 edit.*

266 Quod præcipue procedit in nominibus communib[us], & frequētibus, veluti Ioannes, Franciscus: tunc enim requiruntur etiam aliae demonstrationes, ut per Decium *dict. confil.* 13. *num. 9.* Ciriaco *dicta controvers.* 281. *n. 25. & 33.* quæ resolutiones Gabrielis de Vargas prætensionem excludunt, cum deficiant propositæ identitates.

267 Sexto deficit etiam probatio legitimatis Didaci de Cuerba, & quod fuisse frater legitimus fundatricis, ut per Mascardum *concl.* 512. *num. 12.* Ciriaco *dict. controvers.* 281. *num. 15. & 16. & cum sequent. & num. 23.* qui probat simul cum identitate personæ necessarium esse probari legitimatem ascendentis, à quo intenditur deriuari consanguinitatem, ut tradit ibi *num. 19.* si enim dictus ascēdens fuisse illegitimus, hoc notaret descendenter, quamvis ex sua persona fuisse legitimus, taliter quod ei ad succeditum obstatet illegitimitas, ut *in l. fin. C. de naturalibus liberis,* ut ibi *num. 20. & 21.* & plenè resoluit Cancer. *lib. 1. variarum capit. 5. num. 66. & 67. in 2. editione,* vbi quod legitimitas ascendentium debet probari.

268 Septimo, quia etiam familia diversa est, tum quia licet fundatrix appellaretur Catharina de Aguilera, ut patet ex fundatione, si asserti patres vocati fuere Ioannes Gonçalez de Cuerba, & Ioanna Gonçalez, non percipitur ex hac lite, ex qua parte cognominetur Aguilera: tum etiam, quia licet eius nomen fuisse Catharina de Cuerba, ex idētate cog-

nominis non præsumitur, nec inducitur consanguinitas, ut tradit Signorolus de Homodeis *confil.* 81. *num. 5.* vbi ex hoc iuxta Mediolani quamplures cognominari Homodeis, & non esse eius consanguineos, Menochi *confil.* 331. *num. 14. & sequent. volum. 4. & præsumptio 88. num. 18. in additione ibi posita, pag. 19. colum. 1. late Ciriaco dicta controvers.* 281. *nu. 29. & 30. & sequent.*

269 Octavo, quia cùm sit Didacus de Cuerba vicinus, & originarius oppidi de Vaillecas, & familia de Cuerba, de qua descendit testatrix, habeat originem Matriti, præsumuntur familiæ diversæ, ut pet Menochium *lib. 6. præsumpt.* 15. *num. 49.* qui loquitur in duabus familijs eiusdem ciuitatis, & cognominis, quæ præsumuntur diversæ, & non coniunctæ inter se, ex aliqua demonstratione diversificatiua, Galganeto *de condit. lib. 2. capit. 2. quest. ultim. n. 22. pag. 269.* Mieres *2 part. quest. 7. num. 97.* vbi tradit, quod quando agnationi est coniuncta aliqua qualitas, quæ significat pluralitatem agnationis, præsumuntur plures agnationes, & non unica. Pulchre Ciriaco *dict. controvers.* 281. *num. 28. & que ad 32. vbi loquitur de duas familijs diversarum ciuitatum, & ait, quod si non probetur unam ex alia deriuari, prælumentur diversæ.*

270 Denique, ut ait Lotherius *lib. 2. dict. quest. 11. num. 120.* est necessarium identitatem personæ præcisè probari, sine ullo æquiuocationis scrupulo; facillime enim potest accidere, quod inueniantur à multis annis duo homines eiusdem nominis, quod in nostro casu deficit: non enim est probata identitas Didaci de Cuerba.

271 Ex quibus satisfit allegatis in contrarium, ex Gratiano *tom. 3 cap. 554. num 36.* & alijs Doctoribus ad probandum identitatem præsumi ex nomine, & cognomine: nam hec resolutio, aut debet intelligi quando non dubitatur de persona, aut erit falla, ut ex Bart. & alijs diximus *sūpra num. 265.*

272 Et Lotherius *de re beneficiaria libro 2. quest. 11. num. 121.* cum Bart. & alijs probat nominis identitatem, non inducere identitatem personæ.

273 Ex quibus omnino patet scripturatum probationem minimè Gabrielis de Vargas prætensionem coadiuare.

274 Secunda probacionis species in testimoniis depositionibus, consistit, ex quibus Gabriel de Vargas intendit probare se à predicto Didaco de Cuerba originē trahere, quod non consequitur: in articulo enim ostiatio articulauit Ioannam de Aguilera abauam predicti, fuisse filiam legitimam Didaci de Cuerba, & Theresię de Vargas eius uxoris: & hoc nullus testimonis concludit, neque predicto articulo respondet, præter Dominum Philippum de Vera in iudicio tenutæ productū, qui tempore,

pose, quo depositus, erat etatis 55, annorum, & deponit de auditu, circa predictam filiationem, & in reliquis articulis, in quibus Gabriel de Vargas agit de probanda auctoritas, usque ad dictos Ioannam de Aguilera, & Didacum de Cuerba nullus testium eam concludit.

275 Ex quo non potest dictam auctoritatem pretendere, licet pro se haberet quamplures testes de auditu, non enim probant, iuxta cap. licet ex quadam de testibus, l. 28. tit. 16. part. 3. Farinac. de testib. q. 69. n. 2.

276 Sine eo quod obster replicare, quod in probanda auctoritas antiqua ob probationis difficultatem sufficiunt testes de auditu.

277 Nam satis sit primus, quia attenta vetori, & communior sententia, tempus antiquum in hac materia dicitur illud, quod centum annorum spatium excedit, ut per Farinacium de testibus quest. 69 num. 142. & pluribus congruis Castillo tom. 6. cap. 122 num. 25 fol. 74 column. 4. Lotherius de re beneficiaria lib. 2 quest. 11. num. 100. cum sequent. vbi ait hanc opinionem in Rota obseruari.

278 Et non obstat replicare, in oppido de Vallecas, vbi probatio facta fuit, non esse testes antiquos: nam hoc est ridiculum, sunt etenim, & si forte non sint, hoc deseruier, ut ex defensu probationis in causa non obtineat, & ut aduertit Pratis lib. 5. dubitat. 4. num. 244 fol. 549. column. 3. in hoc casu debet probari in illo loco homines patrum viuere, & non reperi homines maturae etatis.

279 Secundo hoc presupposito, non potest in contrarium intendi in presenti versati in tempore antiquo, circa probationem dictae auctoritatem: nam licet tempus antiquum sit quoad probandum Didacum de Cuerba fuisse filium parentum Catherine de Aguilera, non est antiquum ad probandum fraternitatem cum ea, quod sufficeret iuxta communem opinionem, quod ad probandum consanguinitatem, non requiritur probatio communis stipitis, & sufficit probare fraternitatem, cap. tuas nos de conf. & affinitat. Peregrin. art. 43. n. 64. Mieres 2. p. q. 7. n. 94.

280 Atque ita sufficeret probare Didacum de Cuerba, & Catherine de Aguilera fuisse fratres, & hoc non est tempus antiquum, non enim constat de tempore mortis predictae Catherine, & a die mortis Didaci de Cuerba parum temporis spatium excessit: nam in probatione, quae per Collegium Seguntinum facta fuit pro receptione Magistri Zarate, Petrus Benito senior, & alii testes deponunt se cognouisse, & pertractasse Didacum de Cuerba, quae probatio facta fuit anno 1567. & ideo potuit esse eodem anno cum vidisse, & pertractasse, aut paucis ante, & hoc modo computatione facta, non est tempus antiquum illud, in quo Didacus de Cuerba iucundissima huius

lucis usura fruebatur, vt notabiliter in his terminis arguit Decius consil. 13. num. 8. verific. 2. dato quod ista instrumenta, vbi ait, quod cum non sit necessarium probare stipitem communem, sed solum consanguinitatem inter ascendentem, non poterat dici tempus antiquum dicto modo tempore computato, & Dominice Alvarez sufficit ad obtinendum contra Gabrielem de Vargas hoc dubium esse, glossa in cap. in presentia de probat. Sard. consil. 151. n. 48. & consil. 168. n. 42.

281 Et in pancto ad successionem, ita arguit Rota decis. 75. num. 3. 4. apud Vibianum de iure patronatus, Fular. quest. 615. n. 5. Marta de success. legali part. 4. quest. 22. art. 1. num. 16. & que ad 19. & part. 3. quest. 1. art. 1. num. 18. qui resoluunt dubiam parentalem probationem contra probantem retorqueri.

282 Tertio, quia nullus ex testibus, qui de praetensa consanguinitate deponunt, concidunt cum requisitis cap. licet el. 3. de testib. l. 20. tit. 6. part. 4. quae sunt plura, ut ex illis iuribus paret. Et licet ex eo quod hi textus loquuntur in probanda parentela antiqua ad dissoluendum matrimonium, sint aliqui Doctores, qui eorum dispositionem solum ad illum casum restringant, ut per Gregorium in d. l. 20. gloss. 1. Peregrin. art. 43. num. 31. & cum pluribus Castillo tom. 5. c. 122. n. 22.

283 Alii quamplures Doctores contrariam opinionem sequuntur, vt scilicet horum iurium requiritur procedant in probatione consanguinitatis antiquae ad quemcumque efficiunt, vt tradit Castillo dict. cap. 122. ex num. 9. fol. 68. column. 4. qui omnes Doctores, qui de hac questione egerunt, recensent.

284 Inter quas opiniones concordia est, quod in alijs materijs, praeter matrimoniales, non requiruntur omnia requisita cap. licet ex quadam, licet aliqua eorum requirantur, ut per Farinac. de testibus quest. 69. num. 140. vbi ait testes in hoc casu debere esse graues, & necessariam esse, quod nominent alios, a quibus audierunt ad minus duos unusquisque, & quod hi debent esse fide digni, & non suspici, neque habentes in causa interesse, & debent etiam dicere se credere pro certo illud, quod audierunt, & num. 141. addit debere etiam dicere, ita audiuisse ab alijs maioribus, & senioribus, quam resolutionem sequitur, & comprobatur Castillo dict. cap. 122. num. 24. folio mihi 73. column. 3.

285 Et in hoc etiam notanda est resolutio Rotae per Mantic. decis. 307. sub n. 3. verific. Nec obstat, vbi dicit, quod in rebus magni praedicti, descendencia antiqua probanda erit cum qualitatibus dict. cap. licet ex quadam, Lotherio de re beneficiaria lib. 2. quest. 11. num. 97. cum sequent. vbi hoc bene explicat Trentacinque. lib. 1. variarum resolutionis. 1. de filiatione

num. 13. fol. 97. vbi subdit sex requisita, quæ debent habere testes deponentes de parentela antiqua, Gratian. tom. 5. cap. 969. num. 10 & 13. vbi idem dicit quoad gravitatem testimoniū, & quod audiuerint ante literā motam.

286 Et etiam necessaria est distinctio graduum, Mantic. decis. 88 num. 2 Riccio in praxi iuris patronatus resolut. 155. n. 1.

287 Et etiam requiritur, quod unusquisque gradus duobus testibus comprobetur, & si sint de auditu, inter se concordent, referentes ab eisdem audiuisse: alias enimerunt testes singulares, Marescot. lib. 1. variar. cap. 70. n. 8. Lotherius de re beneficiaria dicit. qu. 11. num. 108. & sequentib. Garcia de nobilitate glos. 18. §. 1. num. 14. à tergo, versic. 1. Sed aduerte ad unum, vbi ait hanc materiam testimoniū de auditu immutatam esse per l. 29. tit. 16. part. 3. quæ solū admittit hanc probationem in probando opere antiquo, & ait in alijs materiis fidem non facere, & quod ideo in Castellæ Regni debet obseruati prædicta lex partitæ.

288 Quarto, debet multum animaduerti, quod ad hoc ut Gabriel de Vargas probet descenditiam à D. Didaco de Cuerba, non solum debet probare se nepotem dictæ Annæ de Grado, sed etiam prædictam fuisse neptem Didaci de Cuerba.

289 Quod verificare intendit ex art. 7. in quo proponit eius aviam fuisse filiam Ioannis de Grado, & Ioanne de Aguilera, & nullus testimoniū productorum aliquid, circa hanc consanguinitatem concludit: nam Licent. Petrus de Camargo deponit audiisse à Licentiatō Fraticisco de Zarate, qui cum sit pars formalis, nihil probat, ut supra dictum est num. 263. & Isidorus Alphonsus deponit de auditu post item motam, & ideo non probat, ut per Gratian. tom. 5. cap. 969. num. 11 & 13. & reliqui testes deponunt de auditu vago, & alij audiisse ab alijs, quos non nominant.

290 Ex quo resultat evidentissima probationis Gabrielis de Vargas exclusio: nā quantumcumque extrema fuissent probata (quod negatur) nempe Didacum de Cuerba esse fratrem fundatricis, & Gabrielem de Vargas esse nepotem Annæ de Grado, non probata ascendititia media, quæ vnit & coniungit hæc extrema, asserta probatio penitus euanevit, ut in terminis tradit Rota apud Manticam decis. 88. num. 2. ibi: Et quidem ut descendititia probeatur, singuli gradus distincti probari debent, adiō ut si deficiat probatio unius gradus, aliorum etiā graduum consequentia destruitur, capit. licet ex quadam, ibi: Singulos gradus de testibus, Bald. post Innocent. in cap. series num. 1. & 3. eodem titulo, Cepola consil. 43. num. 3. & 4. in ciuilibus, Decius consil. 321. num. 6. & 7. & fuit resolutum in causa Sutrina beneficij coram R. P. D. Pamphilio die 18. Decembris 1587. Vnde licet probatum esset Antiochum esse filium Angeli, qui

fuit filius Philippi Mariae: non tamen haec probatio concludit, nisi etiam proberetur, quod Philippus Mariae descendat ab ipsius, quibus fuit ab initio constitutum patronatus, eandem decisionem transcribit Riccio in praxi iuris patronatus decis. 155.

291 Nec obscurabit replicare, quod quando Gabrielis de Vargas probationes non essent perfectæ, & concordantes quilibet de per se, deberent iungi, & colligi, & faciendam plenam effectæ ascenditiae probationem.

292 Ad hoc enim etat necessarium, quam liber conieciatur, & ad miniculum esse perfectum in suo genere, ex doctrina Bartoli in l. admonendi de iur. iurand. n. 48. Gutiet. practic. lib. 3. q. 12. n. 3 Rota per Farinac. decis. 1. post tom. 2. cons. crimin. Cornazan. decis. 85. n. 8. & sequent. Matta voto 45. num. 14.

293 Et idem requiritur, quod administricula & coniectura tendant ad eundem finem, Bart. in d. l. admonend. in 49. Lotherio de re benefici. lib. 2. qu. 43. num. 102.

294 Et in specie fecit hanc pōderationem Rota decis. 187. num. 8. & 18. anno 1636. vbi in his terminis dicit, quod quando omnia administricula, & coniectura habent imperfectiōnem in se, non procedit regula, quod singula, quæ non prosunt, multa collecta iuvant.

295 Et præter contrarietates, quas habet præteritio Gabrieли de Vargas inter se, & cum allegatis, & deductis ab alijs oppositoribus, qui ad invicem se excludunt, est notatum dignum, quod ailegauit D. Maria Casteljon, & quod cōstat ex processu, scilicet anno præteritio 626. cum interdetetur venditio quatuorundam domū huius maioratus, nullum fuisse intermediatum successorem, qui posset cirari, & ideo creatum fuisse bonis defensorem, qui petiū ponit edita, & per proclaimata quælibet consanguineos, & nihilominus nullum repertum fuisse, qui certi possit: ex quo euidenter coniicitur, nullum fuisse consanguineum, & remansisse exclusos omnes, qui nunc consanguinitatem prætendunt, l. si in tempore, C. de remiss. pign. Bartol. in l. vero, quæ nebis, ff. de adquisienda possessione, & in lacum res num. 12. C. de probat. vbi assertum bonum gentis probationis dominij esse, facere super eo inuestigationem, veluti per edictum, vel generale proclama, & quod sinullus sit, qui se opponat, & illud petiat, pro domino remanebit, qui fecit emittere proclaimata, & exclusi qui se non oppoluere, sequitur Boerius decis. 42. num. 13. Mascal. conclus. 537. alias 538. dominium per hec tria num. 14. Menoch. lib. 6. præf. 63. in addit. pag. 42. versic. Duodecimus modus.

296 Tertium medium, quo iuvari intendit Gabriel de Vargas ad probationem assertæ consanguinitatis, est certus testimoniū numeros examinatorum ad instantiam Collegij Seguntini in probationibus, quas pro admissione Ma-

Magistri Zarate in Collegam fecit, & aliud testimoniū probationū, quæ factæ fuere ad hoc ut Licentiat. Zarate admittetur ut Capellanus togatus in Maiori Diui Ildephonsi Complutensi Collegio.

297 Quorum testimoniū dicta nullo modo possunt attendi. Primo, nam probationes Collegij Complutensis extractæ fuerunt sine partis citatione, & probationes Collegij Seguntini de facto, & contra Consilij decretum, in quo compulsoriam ad hunc effectum patitam denegauit, & ideo nullam fidem faciunt ex regul. cap. 2. de testib. l. 2. 3. tit. 16. part. 3. & in terminis Gonçal. ad regul. 8. Chancellar. gloss. 64. num. 12. vbi dicit, quod ad compulsionem scripturarum requiritur partis citatio.

298 Secundo, hæ probationes sunt per processum in formatiuū & summarium, & sine partis citatione, & ideo non probat, nec in favorem ipsius prætendētis in alio iudicio, licet irregulari, & eiusdem qualitatis cum primo, Lara de annuer. lib. 2. cap. 4. num. 17. & seqq. quem refert Lotherius de re benefic. lib. 2. q. 43. n. 82.

299 Nec obstat consultatio 10. Aluar. Valsae ad hoc, ut hæ probationes faciant fidem, solum enim ait fidem attribui tabellionibus confraternitatum, in ijs, quæ coram ipsis sunt, & Lara cap. 4. lib. 2. contrarium tenet, & quod extractæ sint ab atchiujs, non facit eas maiori fide dignas, vt per Gratian. tom. 4. cap. 736. num. 35. & 36.

300 Tertiò, hoc quidem probatur in difficilioribus terminis actorum, & probationū in iudicio summario confessarum, quæ non præiudicant in plenari, etiam inter easdem partes, Mascard. vol. 1. conclus. 34. acta iudicij probant n. 47 & 48.

301 Et quando iudicium non solum est summarium, sed in eo proceditur iuris ordine non seruato, ita ut probationes sicut ante litis contestationem, tunc non probant etiam inter easdem personas, ut probatur in capit. veniens et 2. de testibus, qui textus ad hoc duas assignat rationes. Prima, quod probationes fuerunt receptæ in iudicio summario. Secunda, quod fuerunt receptæ ante litis contestationem, & hæc ratio procedit etiam quod probations sint plenaria, Trentacing. lib. 2. variar. resolut. 1. de probat. n. 31. verf. Declara hanc conclusionem, pagin. mihi 184. vbi ita intelligit hunc textum, idem probat Paž de tenuta c. 32. num. 14. & 15. qui ait testes examinatos sine partis citatione non probare etiam inter easdem personas.

302 Quartò, quod principaliter intendebatur probari in dictis probationibus, erat puritas sanguinis Collegarum in genere, & contrarietas, quæ resultrauit cum ascendentia Didaci de Cuerba, fuit incidenter, & quia testes taliter deposuerunt (licet hoc solum fuerit in

probationibus Collegij Seguntini factis anno 567.) & cum nunc agatur de hac ascendentia ad alium finem, scilicet ad successionem, ad quam vere & realiter consanguinitas, & personarum identitas probandæ sunt, absque dubio prædictæ probationes non possunt in hoc iudicio adduci, etiam quod in illo fuissent plenarie receptæ, & inter easdem partes, Mascard. conclus. 34. num. 39. & 40. Trentacing. dict. resolut. 1. de probat. num. 32. & sententia nihil operatur, nisi super re principali cognoscatur, Rota per Farinac decisi. 274. num. 8. post tom. 2. conf. criminal. iuuat quod tradit Menoch confil. 904. num. 69. lib. 10. Fusat. quest. 622. num. 31. & 32. vbi quod sententia nihil obstat, si prolatæ sit super incidenti, nisi super principali profetatur.

303 Denique dictæ probationes factæ fuerunt sine citatione D. Mariæ Damianiæ, neque eius ascendentium, à quibus habet causam, & ideo licet haberent requisita necessaria, nullū possent ei præiudicium assertre, ex titulo res inter alios acta, & probatur expresse in cap. inter dilectos, vers. Nec attestaciones, de fide instrumēt. Bald. in l. 2. C. de edend. sub num. 17. vers. Ulterius queritur, ibi: Aduerātis vos, vbi quod acta facta in una causa nullo modo generant præiudicium, nec plenum, nec qualequale, respectu nouæ personæ, quæ nullo modo fuit in prima liti, Aretin. in cap. causam que num. 10. vers. 3. adde, & à num. 11. usquead 16. de testib. Alexand. in l. saepè de re iudicata num. 123. Molin. lib. 4. c. 8. n. 5. Scaccia de iudicij lib. 2. capit. 11. n. 310. cum seqq. Franch. decis. 158. n. 11. & 12. & decisi. 345. n. 8. 9. & 10. Trentacing. dict. resolut. 1. de probat. n. 35.

#### Exclusio D. Ioannæ de Zurita.

304 Q Vando non esset contra D. Ioannæ res iudicata, ad hoc ut causa solum in possessorio determinetur, & possit agi de proprietate, minimè obtinere posset.

305 Primo, quia ad hoc ut probet Petrum de Cuerba fuisse fratrem Catherinæ de Aguilera fundatricis, eisdem iuuatur scriptoris, & instrumentis exhibitis à D. Martino de Casteljon, quibus nititur etiam Gabriel de Vargas, quæ nullam probationem, nec fidem faciunt, ut supra diximus.

306 Secundò, ad comprobationem dicai Petri de Cuerba ponderat scripturam quamdam census perpetui celebratarum à quodam Petro Fernandez de Cuerba ad fauorem Doctoris Ferdinandi Gonçalez de Moncon: quod cùm sit exemplum ex alio transcriptum, nullam fidem meretur, cap. 1. de fide instrument. & antiquitas hunc defectum non supplet, Rota per Ludouïs decis. 293. Rota divers. decis. 187. num. 12. & 13. in tom. unico edito anno 1630. vbi in iudicio resolutum fuit, exemplum scripturæ

Scripturæ ex temporis antiquitate non fieri solempne, nec fide dignum.

307 Et nullam eis comprobationem attribuit, quod deductæ sint ex Archivio Monasterij D. Hieronymi, quia est priuatum, ut per Puteum decis. 186. lib. 3. Scaccia de iudicis lib. 2. cap. 12 num. 759. Rota decis. 45 num. 23. & decis. 333. n. 91. cum seqq. tom. vni. divers. ann. 1636. Genua de scriptura priuata lib. 5. tit. 1. de libris rationum in archivio publico repertis nn. 30. & 31. pag. mihi 264.

308 Et quando prædictum archivum fuisset publicum, & concurrente solemnitates necessariae, necessarium erat comprobare non solum prædictas scripturas ex archivio deductas fuisse, sed etiam ibi per multum tempus repositas, & custoditas fuisse, Puteus decis. 440. nn. 2. lib. 2. Verallo decis. 41. num. 4. lib. 1. qui in terminis dicit debere constare, quo tempore scripturæ fuerunt positæ in archivio, cum potuerint ibi esse dimissæ tempore litis pendentis.

309 Tertiò, quia in aliquibus ex scripturis productis assertus frater testaricis appellatur Petrus de Guerba tantummodo, & in alijs Petrus Fernandez de Guerba, & ideo diuersitas inter Petrum de Cuerba, & Petrum Fernandez de Cuerba versatur.

310 Sicut etiam verificatur, in eo quod eodem tempore paucis annis antè vel post fuit in hac Curia alius Petrus de Cuerba matrimonio cum Maria de Sagredo copulatus, ut constat ex scriptura in actis productis, & alijs instrumentis.

311 Ex hac enim diuersitate in cognomine, patria, & vxore deducitur fuisse duos Petros de Cuerba, ex doctrina Bart. in l. demonstratio falsa ff. de condit. & demonstrat. num. 14. ad fin. & num. 15. & rursus num. 19. ad fin. vbi pro regula constituit, concurrentibus duabus vetis demonstrationibus, ex quibus constat de corpore, vel de persona, non vitiari dispositio nem ex eo, quod deducatur alia demonstratio falsa ad identitatem non necessaria, nisi diuersitas probetur, Rota per Ludouil. decis. 455. n. 10 & 11 vbi Rotatesolut, duas esse personas eiusdem nominis ex eo, quod reperiebantur matrimonij foedere iunctæ cum diuersis mulieribus, & quod in contrarium allegabatur esse unum solum hominem, qui primas & secundas nuptias contraxit, esse quid facti, & debere concludenter probari ad probandam idem titatem, sequitur D. Valençuela conf. 110. per tot p. 24. vol. 2.

312 Ex quo sequitur, probationem D. Ioā. n. de Z. ritia dubiam remanere, & æquinoctiā, & non concludere, à quo ex prædictis Didacis de Cuerba originem trahat, ex doctrina Pauli in l. in testamento quidam ff. de condit. & demonstrat. vbi ait, quod si reperiuntur demonstratio nes contraria hinc inde, quædam probantes

diuersitatem, aliae vero identitatem, ad illuicē se excludunt, & nihil ex eis probatum resulat, quod latè exornat Suid. conf. 235. n. 19. volum. 2. & probatio dubia contanguinitatis non sufficit, & retorquetur contra probantem, ut supra dictum est.

313 Quartò, haec diuersitas confirmatur ex articulatis à D. Elizabetha de Aguilera in causa tenutæ, vbi allegat Petrum de Aguilera fuisse fundatricis fratrem, ambos filios Gundalui de Aguilera, & Annæ de Mesa, & testes examinati ita concludant, & ideo ex actis reflectat fuisse tres Petros (quos intènditur fuisse fratres fundatricis) vnde est evidenter harum probationum contrarietas, & præcipuum ex requisitis, quæ debet habere probatio de auditu (in casibus, in quibus potest admitti) est, quod pars, & testes sicut concordes, & intet eos nulla confurgat contrarietas, cap. de parec-tela el 2. 35. quest. 6. ibi: In quibus omnibus nec varietas, nec contrarietas vila reperiri debet, Garcia de nobilitat. glos. 18. §. 1. num. 13. fol. mihi 299. D. Valençuela conf. 92. n. 196. vol. 1.

314 Et vna ex verioribus huius materia resolutionibus est, quod testes de auditu nihil probant, quando auditus in aliquo prosternitur, Cumamus conf. 18. Cure. Iun. conf. 77. Garcia d. gl. 18. §. 1. n. 13. D. Valençuela d. conf. 92. n. 195 optimè Ciriaco tom. 2. controvers. 281. num. 27.

315 Et Garcia vbi proximè constituit, quod cum probatio de auditu in antiquis sit exorbitans à regulis iuris communis, opportet quod sit constans apud omnes, perpetua perpetuo tenore, sine contrarietate, siue repugnantia: & ideo plurimum corruit ex monumentis & instrumentis contrariis, l. censu & monumenta ff. de probat. D. Valenç. d. confil. 92. n. 196. vol. 1.

316 His additor alia conclusio certa apud omnes, quod fama in antiquis, ut probet, requiritur quod sit constans, & perpetua, & invariabilis apud omnes, Bald. conf. 77. num. 64. lib. 3. & conf. 447. num. 10. volum. 5. Farinac. in prax tom. 1. quest. 47 ex num. 164. Butrio in cap. transmissa notabili 3. num. 4. qui filii sint legitimi, Petra de fideicomiss. nn. 443. Farinac. decis. 182. num. 5. part. 5. in recentio. Ricietus de neophyris cap. 7. num. 19. & 20 vbi quod fama debet esse perpetua, & illæsa apud omnes, D. Valençuela conf. 90. ex num. 79. usque ad finem, & confil. 92. num. 165. usque ad num. 189. Barbosa de Epi. copa tom. 2. gl. 17. n. 41.

317 Et nihil debet obstatre contra famam, Malcardus volum. 2. conclus. 797. num. 14. Menoch. confil. 927. nn. 50. volum. 10. Farinacius decis. 67. num. 24 & 182. n. 7. part. 1. in recent. Ludouil. decis. 498. n. 14.

318 Quod etiam comprobatur, testes enim inter se contrarij, siue sint producti ab una parte, siue ab alia, fidem non faciunt, Farinacius de

de testibus quæst. 65. num. 99. & 100. qui ita intelligit regalam cap. cùm tu, de testibus, ad hoc vt concordia, quam requiri text. sit ad eum àdam falsitatem tituli, sed non ut probent, & idem in scripturis contrarijs procedit: inter se enim se impediunt, & se excludunt, taliter quod non probent, l. vbi repugnantia, de reguli iuris, Farinac. de falsitate question. 153. ex num. 121.

319 Et quod Maria de Aguilera fuerit filia Ioannis de Aguilera, & Ioannæ de Rengifo eius uxoris, nullus testium concludit, & scripturæ sunt modernæ, & quæ centum annorum tempus non excedunt, quod est requisitū substantiale, ad hoc vt scriptura sit antiqua, & probetur per verba enuntiatiua, vt tradunt Doctores citati supra n. 258. & 259. Rota apud Putatum decis. 151. lib. 1. & decis. 185. post principiū p. 1. diuers. & cum eis additio ad Ludouisum decis. 3. num. 7.

320 Et nulla ex his centum annorum tempus continet, si attendatur, litem super hoc maioratu agi ab ann. 630. & ad qualificandā scripturarum antiquitatem deducendum est tempus litis, Rota dict. decis. 185. in principio, vers. 2. de mero tempore litis, & decis. 188. num. 1. part. 1. diuers. & apud Farinac. decis. 160. sub num. 9. part. 1. in recent. & apud Buratum decis. 278. num. 8. vbi hoc notat Ferentilius in addit. lit. A. & in additione ad decis. 111. num. 14. & in additione ad decis. 667. num. 12. Garcia de benefic. part. 12. cap. 2. de Unione num. 267. Seraphinus decis. 76. num. 2. præcipue quando, sicut in hoc casu, scriptuta est adeo substantialis, vt in ea pannis victoria consistat, additio ad Ludouij. dict. decis. 3. num. 8. & ad decis. 389. num. 7. Riccius in præxi iuris patronatus resolut. 77. per tot. Ferentilius ad Buratum dict. decis. 667. num. 12. & hæc ponderatio procedit respectu eius scripturæ, quæ celebrata fuit anno 1538.

321 Et quod Petrus de Cuerba fuisset fundatricis frater, nullus testis concludit, sed solum testis ex instrumentis, vnde dicta ascendentia non est verificata, præcipue cùm simus in transversalibus, in quibus requiritur magis clara & exacta consanguinitatis probatio, vt post Ancharran. tradit. Marta in summa successionis legalis part. 3. quest. 1. art. 1. num. 2 t. ibi: Tamen hoc non obtinet in parentela collateralis, quæ ab actore probanda est, quoniam hæc non est ita favorabilis, sicut parentela linea recta, nec invenitur de ea iure cautum, sicut de linea recta descendientium, Ancharran. consil. 52. num. 7. & seqq.

322 Quinto, non est probatum D. Ioannæ de Aguilera, & eius consanguineos familiaritatem, & consanguinitatem per tractasse cum consanguineis Catharinæ de Aguilera: nam testes non deponunt de actibus particularibus huius pertractionis: quod quidem requisiti-

tum substantiale est, et dictum eorum aliquem operetur effectum, vt per Marram d. art. 1. nn. 21. vers. Iterum suffici pag. 806.

323 Præterea, quia solus traditus, consanguinitatis leue administrulum est, gloss. in capit. transmissa, qui filij sint legitimi, cap. per tuas de probat. glossa communiter approbata in l. nō epistolis, C. de probat. l. non nudis, C. eodem tit. gl. in cap. Michael de filijs presbyter. cap. illud de testament. Mascard. vol. 2. cons. 790. nec illa, nu. 2. Marta voto 26. num. 12. & 13. Trentacing. lib. 1. variar. resolut. 1. de filiatione num. 14. vers. Quartus casus, Paschal. de patria potestat. parte 2. cap. 2. num. 16. Castillo tom. 5. capit. 104. num. 12. col. 2.

324 Cùm facilis res sit propter diuersos respectus aliquem fratrem, sobrinum, vel consanguineum appellare, vt per Mascard. d. cœcl. 790. nu. 3. Lupum de illegitimis comment. 2. §. 3. num. 44. versic. Sed ratio ea sit, & versic. Extenditur etiam.

325 Et quando agitur de te graui, & de præjudicio tertij, planissimum est hanc applicationem, seu vocationem nil operari, vt per Mascard. dict. conclus. 790. num. 40. Genua de verbis enuntiatiuis lib. 2. quest. 33. num. 23. & 24. Mendoch. lib. 6. præsumpt. 54. num. 51. & 54. Castillo tom. 6. cap. 124 num. 15. col. 2. fol. mihi 90. Lupum de illegitimis comment. 2. §. 3. n. 42. in principio, & num. 44. vers. Restringitur tam pag. 153. qui loquitur in probatione filiationis per tractatum & nominationem, quod solùm præjudicat illis, quotum tractatio probatur, & non tertio, & consanguineis, qui non assentiuntur.

326 Et in hoc casu sumus in causa maioratus, in qua sicut possessor non potest suo factio præjudicare successoribus, ita nec recognoscendo aliquem consanguineum potest facere eum capacem successionis, Alciatus responso 201. num. 57. & responso 625. ad finem; vers. Item quia non est standum, Iason cons. 106. col. 2. vers. Secundo & adhuc lib. 1. Grato consil. 140. num. 44 lib. 2. qui dicit, quod ista est prima opinio, & cons. 62. nu. 9 & 10. & cons. 158. num. 7. lib. 2. Bursatus cons. 88. num. 5. Præposit. in cap. per tuas num. 21. vers. Nec obstat, qui filij sint legitimi, Mascard. conclus. 799. Gratus num. 26. Mendoch. consil. 89. num. 22. versicul. Extenditur, Petra de fideicommissis quest. 11. num. 484.

327 Denique summè notandum est, Gasbriem de Vargas D. Elizabetham, & D. Ioannam de Zurita, Gundisalvum de Salinas, & Ioannem de Angulo, omnes simul prætende- te, illos de genere de los Vitorias eos recogno- nisse tamquam successores huius maioratus in eorum defectum, & sic sufficit Dominica Alvarez, quod dubitetur: & cùm in sui fauofem habeat iuris præsumptionem, scilicet esse li- tedem ab intestato sua sobrinæ suffici hoc si.

vi succedit ex non iure actoris, l. loci corpus, §. competit, ff. si seruitus vindicetur, & non est eu-  
randum de iure possessoris, quando de iure  
actoris non constat. l. fin. C. de rei vindicatione,  
Bald. in l. planè, ff. de petition. hæreditatis, vbi  
quod ad exceptionem fundam attenditur  
potius defectus agentis, quam iustitia oppo-  
nentis, l. militis codicillis, §. Veteranus ff. de testa-  
ment. militis, & pluribus comprobatur Riminald.  
conf. 112. num. 89. & seqq. Lancellot. de atten-  
tatis 3 part. cap. 24. quest. 1. num. 36. vbi quod  
reο sufficit obtinere ex non iure actoris, The-  
saurus decif. 4. Rota per Farinac. decif. 652. nu-  
2. post medium part. 2. in recent. Marta de succeſ-  
legali part. 4. quest. 16. art. 2. num. 36. cum tri-  
bus seqq. vbi in his terminis dicit hæredem im-  
pediendum esse ingredi possessionem hæredi-  
tatis ex non iure agentis, quando ius tertii,  
quod opponitur, est coniunctum iuri oppo-  
nebris, & ab eo dependens.

Ex quibus vnde constat pronuntiandum  
esse in favorem Dominicæ Aluarez. Salu. &c.

### SVMMARIVM Allegationis 26.

- 1 Proponit materia, & diuīsio allegationis,  
usque ad num. 3.
- 4 Ecclesia ex iuris dispositione succedit in bonis  
Episcopi defuncti.
- 6 Spolium pertinere ad successorem Episcopatus,  
plura in a probant, que referuntur.
- 7 Reus potest solum se defendere ex non iure acto-  
ris, si possidet.
- 8 Iuris actoris eneruatio, & illius disputatio in  
iudicio possessorio non admittitur.
- 9 Fructus decursi tempore vocationis Episcopatus  
ad successorem pertinent, non vero fru-  
ctus percepti & lucrati ab antecessore.  
Cap. quia sèpè de electione in sexto, decla-  
ratur.
- 10 Nauar. de spolijs, §. 10. num. 1. & 2. ponde-  
ratur circa intellectum cap. quia sèpè, de elec-  
tion. in 6. & aliorum iurium.
- 11 Secunda monasterij oppositio proponit, quod  
Episcopus bona spolij intuitu Ecclesie non  
adquisierit.
- 12 Regularis monachuseffectus acquirit Ecclesie,  
& non monasterio.
- 13 Episcopus presumitur bona quæfisse intuitu  
Episcopatus.
- 14 Hæres Episcopi bona ab eo relicta possidens,  
fundam habet intentionem, si constat Epis-  
copum bona habuisse, aliunde, quam intuitu  
Ecclesie. fucus vero si non constat.  
Ioan. Andreas in cap. 3. de peculio Clericorū,  
explicatur, & num. 16.
- 17 Episcopus si tempore consecrationis inuenta-  
rium non confecerit, presumitur contra eum  
bona omnia intuitu Ecclesie adquisita, &  
num. 18.
- 19 Indicis probatur bona Episcopi intuitu Ec-  
clesie quæfissa.

- 20 Quedam schedula Indianorum recensentur dis-  
ponentes circa spolia Episcoporum illarum  
partium.
- 21 Regis Chancellarijs Indianum commendatio-  
nē est, vt suspendant executionem literarum  
Apostolicarum circa spolium Episcoporum  
expeditarum.
- 22 Aliæ leges Indianum recensentur, & nu. 23.
- 24 Quedam obiectio monasterij proponit, &  
num. 25.
- 26 Translatio Episcopi de uno Episcopatu ad aliū  
non præjudicat prima Ecclesiæ.
- 27 Destinatio Episcopi, nihil officit Ecclesiæ. Con-  
trahens extra territorium ad uitandā fraude-  
m statuti propriæ patris, nihil agit.
- 28 Leges favorabiles vires suas porrigit extra  
territorium, siue loquantur in rem, siue in  
personam.
- 29 Ecclesiæ Indianum iuxta consuetudinem dis-  
obseruatam succidunt in spolijs Episcopo-  
rum.
- 30 Consuetudo circa successionem multum ope-  
ratur.
- 31 Et contra Cameram Apostolicam.
- 32 Schedula donationis, in qua monasterium ins-  
sistit, refertur.
- 33 Testis in causa interesse habens repellitur.
- 34 Testes de uniuersitate pro ea possunt depo-  
nere.
- 35 Sed non quando utilitas litis resultat in com-  
modum singularium, & num. 36.
- 37 Nec quando causa est graui, & ardua, & agi-  
tur de magno honore, & iurisdictione uni-  
uersitatis.
- 38 Nec in causa magni patronatus.  
Riccio decif. 110. & 111. part. 3. ponderatur.
- 39 Monachi degentes extra monasterium testes si-  
speci sunt in causa graui, & num. 40.
- 41 Amicus in causa amici non est integer testis.
- 42 Monachi magis timent Abbatem, quam laici  
suum iudicem.  
Vñcentius de Anna singulari 8. expeditur.
- 43 Obedientia, & superioritas respectu omnium  
monachorum eadem est.
- 44 Cuidam monasterij obiectio respondetur.
- 45 Monachi magis affecti sunt monasterio, quam  
ciues uniuersitati.
- 46 Arbitrium iudicis circa probationes strictissi-  
mum esse debet.
- 47 Monachi procuratores monasterij à testimo-  
nio repelluntur, & num. 48.
- 49 Et solicitatores.
- 50 Cap. insuper de testibus, generaliter loquitur  
tam in procuratore ad lites, quam ad ne-  
gotia.
- 51 Abbas in cap. insuper de testibus sub num. 8.  
explicatur.
- 52 Mediatores repelluntur à testificando in cau-  
sa, in qua intervererunt.
- 53 Approbatio testis in instrumento adhibiti quo-  
modo fiat.

- 54 Administratores testes idonei sunt in negotiis administrationis, & num. 55.
- 55 Superior Monasterij idoneus testis non est.
- 57 Testis de uniuersitate quando pro ea admittitur, debet esse omni exceptione maior.
- 58 Interesse possibile repellit testem.
- 59 Testes Collegij pro eo deponentes omni exceptione maiores non sunt.
- 60 Et ideo unus semiplenam probationem non facit, nec duo plenam.
- 61 Nec legatum Ecclesiæ factum probant.
- 62 Imola in capit. cùm nuntius de testibus, versicul. Dixit tamen Archidiaconas num. 2. ponderatur.
- 63 Difficilis probationis casus dicitur, quando ex natura rei à communiter accidentibus alijs testes intervenire non solent.
- 64 Testis deponens pro defensione sua existimatio- nis fidem non facit.
- 65 Liber Monasterij non probat pro eo contra tertium, & num. 66.
- 67 Necepsitola missiva.
- 68 Multa tractantur, quæ non perficiuntur.
- 69 Testium numerus supplet eorum defectum, & num. 70.
- 71 Probatio dubia contra probanteum rētorque- tur.
- 72 Testis deponens aliquem fuisse præsentem, non concludit intellectu.
- 73 Quod premaxime procedit, quando agitur de obligando præsentem.
- 74 Testis perjurium indicus comprobatur, & nu- mer. 75.
- 76 Testis fides est individualis, & ex falsitate in parte, totum dictum repellitur.
- 77 Testis ex suo capite & persuasione deponens, nihil probat.
- 78 Testis viles fidem non facit.
- 79 Disponentis voluntas non est dispositio.
- 80 Cap. fin. de succession. ab intestato, explicatur.
- Probationes imperfectæ diuersi generis quales debeat esse, ad hoc ut simul iunctæ probatio- nem plenam efficiant, & num. 81.
- 82 Confessio extrajudicialis duobus testibus de- bet probari ad faciendam semiplenam pro- bationem.
- 83 Et testes idonei, & legales esse debent.
- 84 Causalcan. decif. 19. num. 24. usque ad 27. p. 1. ponderatur.
- 85 Testis non presumitur omni exceptione ma- ior.
- 86 Testes in aliquo discrepantes, vel contrarij, co- confessio- nem extrajudicialem non probant.
- 87 Et rogati esse debent.
- 88 Probationes semiplenæ, ut coniungantur ad probandum, debent esse in suo genere perfe- ctæ, & num. 89.
- 90 Testium pluralitas non supplet eorum defi- citus.
- 91 Contrarietas testem repellit, & num. 105;
- 94 Testis contrarietas, quando non est circa substancialia, eum non repellit, & num. 95.
- 96 Testium contrarietas circa notabilem circun- stantiam eos repellit.
- 97 Testis non dicitur omni exceptione maior, si contra eum aliquid potest opponi.
- 98 Testium diuersitas in tempore eos repellit, quādo tempus est de substantia depositionis, usq; ad num. 100.
- 101 Tempus dicitur de substantia depositionis, quando articulatum est.
- 102 Multum temporis spatium ad annum re- fertur, usque ad num. 104.
- 106 Testium contrarietas in parte non substanciali, eos suspectos reddit, & num. 107.
- 108 Testibus suspectis contrarietas valde obstat.
- 109 Testium contrarietas in circumstantijs proxi- mis actui, eos repellit.
- 110 Testium concordia debet fieri, ut evitetur perjurium, non ut probent.
- 111 Hypotheca si probanda est per schedulam, debet esse trino teste munita, & num. 112.
- 113 Leges Partitæ non sunt correctoriæ iuris ciui- lis, & num. 114.
- 115 Testium idoneitas & legalitas debet probari in materiali scripturas, C. qui potiores.
- 116 Quia eam lex requirit.
- 117 Testis, cui aliquid opponi potest, non est omni exceptione maior, & num. 118.
- 119 L scripturas, C. qui potiores, dispositio proce- dit non solum in probanda prælatione hypo- thecae per instrumentum priuatum, sed etiæ quando per id donatio probanda est, & num. 120.
- 121 Clandestinitas actus falsitatis præsumptio- nem inducit.
- 122 Donatio secunda, in qua de prima mentio fa- cta non fuit, falsitatis præsumptionem indu- cit, & num. 123.
- 124 Instrumenti occultatio falsitatis præsump- tionem inducit, & num. 125.
- 126 Et tarda instrumenti productio.
- L. si quis forte ff. de pœnis, exornatur.
- 127 Falsitatis præsumptionem inducit constetæ solemnitatis omissione.
- 128 Falsitatis suscipio est, per testes probare, quod per instrumentum probari consuevit.
- 129 Falsitatis præsumptionem inducit nimia cau- tela, & actuum multiplicitas.
- 130 Falsitatis suscipio est subscriptio titubanter facta.
- 131 Falsitatem inducit diuersitas attramenti, & num. 132.
- 133 Donatio Ecclesiæ facta acceptationem re- quirit.
- 134 Testi perito de suo iudicio deponenti creden- dum est.
- 135 Similitudo literarum ad comprobandam fal- sitatem prædest.
- 136 Testes magis specificè deponentes præferan- tur.

- 137 Ocularis inspectio falsitatem melius iudicat.
- 138 Contrarietas inter partem, & scripturam, falsitatis presumptionem demonstrat.
- 139 Falsitatis duo gradus considerari possunt in instrumento.
- 140 Primus, quando falsitas plenè est probata ad declarandam profal, à scripturam.
- 141 Secundus, quando non est plena probatio, sed solum suspicio.
- 142 Falsitatis suspiciones sunt duo genera, quædam visibles, quedam inavisibles.
- 143 Falsitas difficile probatur.
- 144 Quia detegere falsitatem quodammodo prouenit à diuina revelatione.
- 145 Coniecturae vehementes tendentes ad eundem finem falsitatem probant, & num. 146.
- 147 Falsitatis suspiciones in ciuilibus sufficiunt ad reprobationem instrumenti.
- Archidiaconi in cap. in memoriam distincti.
- 19 num. 12. explicatur.
- 148 Quod à fortiori procedit quando suspiciones sunt visibles.
- 149 Suspitiones ab extra sufficiunt adeneruan- dam fidem scripture.
- 150 Coniecturae vehementes, & tendentes ad eūdem finem falsitatem probant.
- 151 Probatio per testes si naturalis, & inducta per ius civile & gentium, per instrumentum vero artificiose.
- 152 Testibus de falso suspectis non creditur.
- 153 Falsitas instrumenti faciliter indicis comprobatur, si super falsitate pronuntiadum non est.
- Post num. 154. inuenies alia summaria.

## ALLEGATIO XXVI.

## P R O

Decano, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis de  
Guadalaxara in Provincijs Nouæ  
Hispanie.

## C O N T R A

Monasterium S. Benedicti Regalis, ciuitatis  
Vallijøletane.

## EPITOME ALLEGATIONIS.

- I Ecclesia succedit Episcopo defuncto.
- II Monachi quando possunt esse testes pro monasterio.
- III Contrarietas testium eos repellit.
- IV Materia legis scripturas, C. qui potiores declaratur.

- V In ciuilibus suspicio falsitatis habetur pro falso.
- VI Episcopus regularis querit Ecclesiæ dominium rerum emptarum, & in Ecclesiæ praedi- cium non potest de eis disponere.
- VII Respondetur pluribus oppositionibus, quæ in contrarium fiunt.
- VIII Quando quis dicatur constitutus in infirmitate, vel in mortis articulo.
- IX Donationes factæ à Prælatis in infirmitate reprobantur.
- X Pij IV. constitutio circa donationes ab Episcopo faciendas, explicatur.
- XI Schedula Regia anni 1620. edita super spolijs Episcoporum Indiarum declaratur.
- XII Regula de infirmis resignantibus applicatur Episcoporum donationibus.
- XIII Petitorum quando simul cum possessorio determinari debat.
- XIV Cap. 1. de restitut. spoliat. declaratur.
- XV Clementina 2. de causa possessionis, & propriet. explicatur.
- XVI Suspensio petitorij quando non admittatur.
- XVII Ecclesiæ queritur possessio bonorum acquisitorum ab Episcopo.
- XVIII Ad hoc ut ex actu nullo acquiratur possessio, requiritur vera traditio.
- XIX Fauor Ecclesiæ in hoc pondatur.
- <sup>1</sup> PLura notabilia fuerunt discussa in causa agitata inter Decanum, & Capitu- lum Sanctorum Ecclesiæ de Guadalaxara in novo Hispaniæ Regno, cuius ius D. Fiscalis Regi- In-

Indiarum Senatus coadiuuat ex vna, & Monasterium S. Benedicti Vallisoletani, cuius ius etiam D. Fiscalis Regis Senatus Castellæ coadiuuat ex alia.

2 Prætendit Ecclesia de Guadalaxara, ut confirmetur visionis sentia Regis Senatus 13. Iulij ann. 1629 in quantum iussit, ut ei daretur omnium bonorum possessio, & similiter spolijs, quod post mortem reliquit Episcopus D. fr. Joannes del Valle: & emendetur in quantum solùm super possessorio fuit determinata, cùm simul super petitorio determinari debet et declarando dicti spolijs proprietatem ad Ecclesiam pertinere.

3 Et præsuppositi litis facto de quo in memoriali, quod Dominis iudicibus porrectum fuit, quatuor discutentur articuli. Primus super legitimatione iuris Ecclesiae. Secundus, quod priuata schedula in Monasterium fundat donationem, non est comprobata. Tertius, quod quando esset comprobata, ob iuris defectus, quos habet, pro nulla reputari debet. Quartus, quod debet pronuntiari super petitorio, visionis sententiam emendando.

### ARTICVLVS I.

4 Ecclesia de Guadaxara in hoc spolio legitimam habet successionem de iure, & Indianum schedulis, & consuetudine.

### DE IVRE.

5 Vre eam habere probatur per cap. placuit 12. quest. 3. cap. 1. 12. quest. 4. cap. 1. cap. fixum 12. quest. 5. cap. statutum 18. quest. 1. vbi glossa ab omnibus recepta, cap. 1. cap. cui in officijs, de testament. & ex alijs iuribus, quæ refert Sarmient de reddit. num. 19. Barbos. de officio Episcop. allegat. 114.

6 Contra hoc opponitur per Monasterium, hæc spolia ad Ecclesiæ non pertinere, sed ad successores in Episcopatu, ex cap. quia sepe 40. de electio. lib. 6. ibi: Bona à Prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter referuari, cap. praesenti de officio ordinari. lib. 6. ibi: Eorundem bona (morientibus eorum rectoribus, vel ministris) in ipsis inuenta, siue vacationis ipsorum tempore obuenientia, quæ in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter referuari. Clementina, statutum, de electione, ibi: Super bonis à prælatis Cathedralium, Regularium, & Collegiarum Ecclesiarum dimissis, aut obuenientibus tempore vacationis earum futuris successoribus fideliter referuandis, & quod ideo Ecclesia exclusa est ex defectu iuris agentis, iuxta l. fin. C. de rei vindicat.

7 Cui primò satisfit: nam qui potest excludere ex non iure actorem, est reus, qui possidet, ut expresse tradit l. fin. C. de rei vindicat. & actor, ut Monasterium est, solum potest iuuati

iure quod in eius persona residet, & non alio' l. in speciali, ff. de rei vindicat. l. indebiti, q. si numeri. ff. de condicione. indebit. & ita in specie tradit Ruin. conf. 38. num. 1. lib. 3. Maranta de remed. poss. num. 95. qui reperitur post eius consilia, qui ad id citat Socin. in l. 2. de except. rei vindicat. vers. Notabis tamen.

8 Secundò, quando Monasterium fuisset reus, & possessor (quod fallum est) sibi ipsi in actionibus contrariatur: nam aliquando hoc indicium possessori esse prætendit, aliquando vero iuris Ecclesiae opponit defectum, quod in iudicio ordinario, non vero in summario fieri potest, ille à quo, q. si de testamento, ad Trebellian. Ruin. conf. 129. nu. 8. ad fin. & num. 5. lib. 2.

9 Tertiò textus in cap. quia sepe, de electione in 6. & ceteri citati claram intelligentiam habent: nam promiscè loquendo de bonis à defuncto prælato relictis, & de obuenientibus tempore vacationis Episcopatus, tradunt ea successori futuro dari debere, aut in utilitatem Ecclesiae conuerti. Et referendo singula singulis, hi textus nostram probant conclusionem: nam bona quæ debent futuro successori restuari, sunt obuenientia tempore vacaturæ: & Ecclesiæ, bona quæ antecessor reliquit: & ita sunt hi textus communiter interpretati à Doctoribus, cùm illis impedimento non fuerint ad decidendum fauore Ecclesie. Et allegantur ad hoc, ut fructus obuenientes tempore vacationis petrineant ad successorem, vt latè probat Surdus conj. 333. nu. 23. lib. 3. Cerola in prax. Episcop. 1. p. verb. Beneficia, q. ad sextum, vers. Quoad secundam partem, pag. mihi 54. Barbos. de Episcop. allegat. 114. n. 8. Garcia de benefic. 2. p. c. i. n. 89.

10 Quartò in individuo his iuribus respondet Nauarrus de spolijs Clericorum, q. 10. nu. 1. & 2. pag. mihi 546. & 547. inter diuersos tractatus de spolijs, vbi dicit, quod clausulæ, vel futuris successoribus referuntur, capitilis presenti, de officio ordinari. in 6. & cap. quia sepe, de electione. in 6. non debent referri ad præcedentem dispositionem, sed ad immediatum scilicet referuationem futuris successoribus, fieri debere de fructibus vacationis, & nō de bonis, quæ Episcopus antecessor reliquit.

11 Secundò opponit Monasterium bona adquisita ab Episcopo non esse intuitu Ecclesiae, sed patrimonialia, & eius industria acquisita ex Bibliotheca, & mutuo, quod ei fecit Monasterium, & alijs rebus venditis.

12 Cui primò satisfit, quod hæc oppositio momenti non est, quia quando Monasterium intentionem suam probasset, adhuc Ecclesia fundaret in dominio omnium bonorum (cùm Episcopus regularis sit) qui acquirit Cathedrali Ecclesiae, non solùm bona intuitu Ecclesiae obtenta, sed etiā cetera alijs iustis causis quæsita, ut probatur in cap. statutū

18. q[uo]d est. i. & latè tradunt Doctores infra referendi.

13. Secundò, nam certum est spolijs bona acquista intuitu Ecclesiae ex Episcopatus frumentis fuisse, & sic de iure presumitur in eius favorem, capti. 1. de peculio Clericorum, glossa verb. Probentur, in auth. de Ecclesiasticis titulis, §. interdicimus collatione 9. Couart. in cap. 1. de testament. num. 6. Menoch. lib. 3. præsumpt. 51. num. 23. Paris. de resign. lib. 14. quest. 7. numer. 48. & 49. vbi quod Ecclesia habet fundatam intentionem super omnibus bonis à Prelato defuncto possedit, Redoan. de spolijs quest. 15. num. 12. & sequentibus, vbi latè distinguit, Borrel. in summa decisi. tom. 1. tit. 6. num. 35. & 36.

14. Tertiò, nam et si Monasterium, ut spolijs bona non ex redditibus Episcopatus (qui communiter ad 36. millia pondera argentea annuatim ascendent) sed ex alijs bonis acquista esse demonstrat, formare intendat magnū capitale, & articulos fecerit, nihil tamen relevans probauit, & Ecclesia probauit omnia bona spolijs, super quibus controvexit, ex redditibus Episcopatus fuisse acquisita.

15. His probationibus ponderatis, facile resoluitur quaestio Ioan. Andr. in cap. 3. de peculio Clericorum, an in dubio debeat presumi pro hærede, vel Ecclesia in bonis prælati: nam distinguit, aut constat prælatum bona patrimonialia habuisse tempore promotionis, aut ea non habuisse, vel dubitatur.

16. Si ea habuisse constat, & prælati hæres in eorum sit posseditio ne, pro eo presumitur: & Ecclesia, quæ ea sibi restitui intendit, probare debet acquisita fuisse intuitu ipsius, & de redditibus Ecclesiasticis: si verò constat tunc bona non habuisse, pro Ecclesia presumitur, & hæresante promotionem patrimonialia bona Episcopū habuisse, debet probare: quod similiter procedit quādo dubitatur. Quam distinctionem communiter sequuntur Menchaca contravers. illustrium cap. 105. num. 35. Barbol. allegatio, 114. num. 11. 12. & 13. Marta in summa success. legal. tom. 1. part. 3. q[uo]d est. 13. art. 5. num. 19. & seqq. & part. 4. quest. 1. art. 4. num. 29. & 33.

17. Quo supposito, cùm constet Episcopū ab initio pauperem fuisse, quia regularis erat, Ecclesia pro se presumptionem habet, ad hoc vt hæc omnia bona intuitu Ecclesiae acquisita censeantur.

18. Et quando constasset bona ab initio posse dicti, si illorum possessionem Monasterium non habet, etiam pro Ecclesia existit præsumptio, vt infra: & etiam contra Episcopum præsumitur, quia inuentarium non fecit, vt in specie ponderat Marta part. 3. q[uo]d est. 3. d. art. 5. num. 19. & 20.

19. Et denique, quando Monasterij probatio superior esset, sufficiebat Ecclesiam pro-

basse per indicia & præsumptiones, bona fuisse ex fructibus Ecclesiasticis acquisita, vt tradit Marta d. art. 5. nu. 46. & n. 47. addit vnum notabile, quod existentibus contrariis probatoribus Ecclesiae, & hæredis Episcopi, debet Ecclesia probatio præualetere, quamvis actor sit: ob ipsius favorem. Et in hac causa Monasterium est actor, & Ecclesia rea.

*Inuxa schedulas Indianorum, & Regij Senatus ordinationes.*

20. Per schedulam anni 581. quæ est libro 2. ordinationum fol. 46. disponitur, quod in spolijs Episcoporum, & sedium vacantium, ius canonicum obseruetur: cum qua cōcordant alia schedulae & præcipue vna, quæ est fol. 45. anni 573.

21. Et in summario ordinationum Indianorum, lib. 1. tit. 7. l. 3. fol. 15. iuinetur, quod Regij Indianorum Chancellariae retineant Bullas Apostolicas, quæ ad illas partes sucent perlatæ ad recolligenda spolia Episcoporum, & supplicatione interpolata eorum executionem impedian.

22. Et per l. 51. tit. 5. eodem lib. 1. summario fol. 14. iubetur Indianorum Regij officialibus, ut spolia, & vacantia recolligant, & servent, illorum rationem separatam habendo.

23. Quæ conclusio adeò recepta, & communiter practicata est, vt in Regali Indianorum Senatu de illa dubitare non licet, & iuxta eā decifum fuisse in easu occurrenti, refert D.D. Ioannes de Solorganio Pereira Eques Militiae Divi Iacobi quondam in Salmanticensi Academia Vespertina legum Cathedra dignissimus moderator, nunc verò in illo Senatu Sapientissimus Consiliarius tom. 2. de Indianorum Iure lib. 3. cap. 11. num. 99. vñque ad finem, fol. 748.

24. Contra quod opponitur à Monasterio, quod hæc Indianorum Senatus ordinationes solū in spolijs Episcoporum, qui in nouis Regnis decedunt, possint practicari, & in bonis in illis partibus litis, iuxta quod poterit Ecclesia succedere in effectibus relictis ab Episcopo in Guadalaxara, & illo territorio, & non in bonis in Hispania relictis. Sed satisfit.

25. Primò, nam quando hæc oppositio certa esset, nulla utilitas Monasterio sequitur: nam iuxta eam hæc bona ad Cameram Apostolicam pertinebant, & ita de iure tertii allegetur: quod facere non potest Monasterium, cùm in bonorum possessione non sit, ne sup. num. 7.

26. Secundò satisfit ex infrā dicendis ex n. 20. circa translationem, quæ fit vnius Episco pi ad aliam Ecclesiam, quod non debet esse in præindictum primæ, & dominij bonorum, quæ iam erant acquisita.

27. Quod quidē probat Rota apud Seraph.

*decis. 594 num. 20 ad fin. & num. 21. & 22. vbi fuit decissum, destinationem, quara bonorum, & effectuum suorum facit Praelatus, nullum debere operari praejudicium contra Ecclesiā, ad quam iure pertinēt: & coadūcunt quæ in simili tradit Riminald. in princip. inst. de donat. num. 151. vbi resoluti contrahentem extra territorium in fraudem statuti prohibentis aliquem contractum absque certa solemnitate, iuuari eo non posse: sequitur ipse Riminald. cons. 42. n. 43. 46 & 47. lib. 2. & in pulchro casu Cened. in Canon. q. 21. per tot. Mascard. de statutis conclus 6. num. 134. & seqq. Borrel. cons. 58. n. 14. & seqq. Ciriac. tom. I. controversial. 10. num. 82.*

28 Tertiò, nam hæ Regij Senatus ordinatio[n]es de Ecclesiārum successione loquentes, fauorabiles sunt, quia eas ad ius commune reducunt, & ita extra territorium extenduntur, siue loquantur in rem, siue in personam. ex doctrina Bart. in l. 1. C. de summa Trinit. num. 3 2. Surd. cons. 535. n. 17. & 18. lib. 4. Menoch. lib. 2. presumpt. 2. n. 6. in additione ibi posita, versic. Tertius est casus, Belon. cons. 74. n. 117.

*Ob consuetudinem Indianum generalem.*

29 **S**atis nota est in Regio Senatu consuetudo succedendi in spolijs Episcoporum Indianum. siue in eis, vel in Hispania decedant, quæ ab Ecclesia probata est, & sic in schedula anni 573. vt Apostolica Camera ab his excludatur spolijs, consuetudo immemorialis adducitur, & ponderatur.

30 Et idem exempla decisionum Regij Indianum. Senatus comprobant, præcipue in causis super spolio de Chile, de las Charcas, & Guamanga, & alijs pluribus: semper enim Senatus ad Ecclesiās pertinere declarauit, & in hac successione[m] materia plus præponderat consuetudo, quæ potens est, vt ab eo, ad quem pertinet successio, auferatur, & in alium transferatur, vt probatur in l. fin. tit. 8. lib. 5. Recop. Azor institut. moral. lib. 7. cap. 9. q. 1. & lib. 8. cap. 4. q. 4. Barbos. de Episcop. allegat. 114. Marta de success. legal p. 4. q. 1 art. 4 n. 36. Sanct. Fausto in Thesaur. Religios. lib. 8. artic. 8. q. 76. vbi quod consuetudine induci potest, quod Religiosus possit testari.

31 Et in materia spoliorum contra Cameram Apostolicam ita arguit Seraphin. d. decis. 594. n. 13. & per tot. Pereira decis. 95. n. 9. 10. & 11. omnino videndus, Bonacina tom. 2. tractat. de spolijs disput. 3. q. vlt. puncto 5. vers. Secunda causa pag. 1005.

## ARTICVLVS II.

*In quo fundatur donationem, in qua Monasterium insistit, non esse probatam.*

32 **D**Onatio, qua Monasterium iuuatur, à tabellione nō est celebrata, nec sub-

scripta, & solum schedula simplex praesentatur, contra cuius legalitatem, & comprobacionem quatuor fundamenta proponentur, super quibus breuiter discurretur.

**P**RIMVM FUNDAMENTVM.  
*In quo probatur, testes in schedula positos idoneos non esse.*

33 **V**T ex chygrapho constat, solum quatuor testes in eo interuenient ineditur, videlicet fr. Petrus de Albistur, fr. Francisco de Vega, fr. Ildephonsus Nuñez, & fr. Gaspar Franciscus, qui conuentuales sunt domus S. Benedicti Vallisoletanæ ciuitatis, unde idonei testes non sunt ad predicta schedulae comprobacione: nemo enim in propria causa testis doneus est, *l. omnibus, c. de testibus.*

34 Sed poterit replicari, quod hæc regula limitatur ex dispositione cap. in nper, cap. cum nuntius, de testib. l. 18. tit. 16. p. 3. in quibus probatur, quod testes deponentes ad fauorem universitatis, & Monachi ad fauorem sui Monasterij faciunt fidem.

35 Verum habet plures sublimitationes, quæ penitus fidem dictorum Religiosorum excludunt.

36 Primò, nam quando vniuersitatis causa redundat in singularium beneficium, tunc non probant pro vniuersitate, vt quando agitur de pascuis, & nemoribus, Ioan. Andreas in cap. nuntius, de testibus, Gregor. in d. l. 18. tit. 16. p. 3. verb. Los del Confejo, glos. 6. Farinac. de testib. q. 60. n. 496.

37 Quando causa est ardua, & grauis, quia in ea agitur de magno commode, vel magna iurisdictione vniuersitatis, dicitur utilitas singularium respicere, & ita idonei testes non sunt, vt tradit Bald. in cap. cum nuntius, de testib. ante num. 1. vbi dicit, quod si questio esset de statu vniuersitatis, vel aliquo magno honore, vel magna iurisdictione, repelletur ciues a testimonio ferendo pro vniuersitate propter ipsorum interesse: sequitur Felin. ibi num. 4. fallent. 3. Vrsill. ad Aſſiſſ. decis. 400. num. 2. vbi agitur de Monachis deponentibus in fauorem Monasterij, Menoch. de arbitrar. casu 106. num. 11. Farinac. de testib. quest. 60. num. 521. vbi loquitur in causa civili ardua, & magna, & num. 522. vbi quando ageretur de magno honore, & magna iurisdictione vniuersitatis, & decis. 312. num. 4. tom. 2. criminal. Rota apud Seraphin. decis. 1166. num. 1. part. 2. vbi de monialibus, quæ deposuerunt ad fauorem Monasterij pro validitate professionis cuiusdam monialis, ex qua penes Monasterium pingues redditus erant remansuri, quod non adiunguntur ad ferendum testimonium. Idem tradit Farinac. decis. 705. n. 4. ad med. part. 2. in recentioribus.

38 Et in individuo in causa patronatus ho-

notifici, quod dicatur ardua, & grauis, vt in ea non admittantur ciues ad deponendum in favorem vniuersitatis, tradit Ricc. decis. 110. & 111. part. 3. inter decis. Curiae Archiepiscop. Neapolitan.

39 Nec obstat si replicetur, prædictos Religiosos non residere in Monasterio Sanct. Benedicti Vallisoleti, & ita cessare proprium interesse quod ex eorum depositione proueniebat.

40 Cui satisfit, nam allegatio hæc est ex capite, & non constat quod non resident: & quando constat, adhuc erat proprium Religiosorum interesse ob gravitatem causæ, eo quod una sit Religio: quod expressè determinauit glos. in auth. de Monachis, §. cogitandum, verb. Testes, vbi æquiparauit habilitatem, vel inabilitatem Religiosi testis, siue in favorem Religionis deponeret, siue Monasterij, in quo residet, & in utroque casu tradit æquiparari debere amici depositioni in favorem alterius amici, cui fides non datur.

41 Et cum Religiosus sit qualiscumque Monasterij suæ Religionis amicus, fidem non facit, cum iuste propter amicitiam repellatur, l. 3. ff. de testib. ibi: *Vel amicus sit pro quo testimonium dat. cap. si testis, ver. Si testimoniū fides 4. q. 3. cap. quatuor 1. q. 3. cap. quoties, de testib. Grat. de effest. amicūtia num. 38. Farinac. de testib. q. 55. num. 233.*

42 Ex quo satisfit ponderationi in contrarium adductæ ex Ricc. dict. decis. 110. num. 4. dum afferit, vnius oppidi naturales in favore ipsius idoneos testes esse, si extra illud degunt: nam in sacerdotalibus cessat reverentia, quoad iudices, & superiores suæ originis, si extra eam degunt, & solus affectus originis remanet, & quamvis ad hoc Riccius nil alleget, Vicent. de Anna singulari 81. qui in terminis loquitur, nullam facit distinctionem inter illos casus de habi. antibus extra, vel intra locum domiciliij.

43 Quod cessat in Religiosi, nam vno, & obediens, quam debent superiori, semper in omnibus militat: in quo Riccius innititur dict. decis. 110. num. 3. vt repellantur vniuersitatis testes in probatione iuris patronatus, ad quod citat Verallum decis. 136. part. 2. Paris de confidencia, quest. 28. num. 252. Gonçalez ad regulam octauam Chancellarie, gloss. 18. sub num. 71. Gratian. tom. 1. cap. 168. num. 23. & præter hos, idem probat Garcia de benefic. part. 5. cap. 9. num. 102.

44 Secundò opponitur à Monasterio hæc causam arduam non esse, nam creditis Episcopi sublati, Monasterio S. Benedicti quantitas considerabilis nō remanet. Quod certum non est: nam Regalia iura, & debita, quæ in administratoris sunt potestate, ascēdunt ad plus quam 1000 ducata, præter alia debita, & effodus, quæ huic spolio debentur in ciuitate de Guadalaxara, & in quibus est Monasterium in-

trum: & bona, quæ in dicta schedula continentur, sumunt 1129807. Regalia, quæ solvi possunt ex redditibus iurium hac causa pendente: & ita doctrinæ adaptantur, quia agunt de magno patronatu, & magno honore, præminentiaque Monasterij.

45 Tertio dicitur, has decisiones 110. & 111. Ricci part. 3. loqui de vniuersitate sacerdotalium, & quod hic sumus in vniuersitate Monachorum: nam differentia ratio est in favorem Ecclesiæ, & non Monasterij. ea enim ratione sacerdotes idonei non sunt ob subjectionem & afflictum, quem erga vniuersitatē, & bonum eius cunctum habent: quæ ratio fortius in Religiosis militat, propter obedientiam, quam superiori debent. Ut in individuo ponderat Corneus conf. 261. num. 6. lib. 1. Treuian. decis. 35. num. 5 ad fin. part. 1. ibi: *Tenentur que obediens superioribus suis, & Farinac. (qui in contrarium allegatur) de testib. q. 60. n. 450 & 459. & seqq. qui de hac materia agit, loquitur indistincte, de testibus vniuersitatis Ecclesiasticae, & sacerdotalis, easdem rationes proponendo. Et Toto in compendio tom. 2. ver. Testes deponentes in causa pascuorum pag 697 cum eadem generalitate loquitur: & de iure hæc certior est resolutio, quod ad hoc vt fidem testes vniuersitatis faciant, vel non, nulla est differētia inter sacerdotalem, & Ecclesiasticam: vt tradit I mola in cap. nuntius, de testibus, num. 2. vbi dicit non percipere differentia rationem, quæ constituit Archidiacon. Corneus conf. 261. nn. 6. lib 1. Farinac. q. 60. n. 457 & 458.*

46 Quartò, hanc materiam arbitratiam esse dicitur ex Menoch de arbitr. casu 106. n. 11. qui ad hoc citat Bald. in cap. cum nuntius, de testib. nu. 1. sed hanc limitationem non adducit Bald. quæ ex natura sua incerta est, quia in hac materia iudicis arbitrium strictissimum esse debet, vt per Cravet. de antiquit. 1. part. ver. Quid in libro officialis, n. 25. pag. mihi 65. Thetaur. lib. 1. foren. q. 37. n. 7.

47 Et omnes huius cause circumstantiæ restrictionem arbitrij Senatus perstradent, vt nulla his Religiosis fides adhibeatur.

48 Secunda sublimitatio est respectu fr. Petri de Albistar, & fr. Francisci de Vega, qui mandatum habuerunt, vt asserta donatio acceptaretur, & virtute prædicti mandati eam acceptarunt. Quibus ipsis, & fr. Gaspari Francisco, & fr. Ildephonso Nunez mandatum dedidit Monasterium ad huius cause prosequitionem. Vnde idonei testes non sunt, iuxta exceptionem capit. in super, de testib. Farinac. de testibus, quest. 60. num. 526. Gratian. tom. 5. c. 980. n. 18. & 19.

49 Eadem sublimitatio procedit respectu fr. Gasparis Francisci: nam vt ipse asserta sua depositione, quādo facta fuit donatio, causas Religionis agebat, & super validitate huius donationis aduocatos consuluit: qui defe-

fectus contra aliquos ex dictis testibus oppositus, & probatus est: & ita cum fuerint in causis Monasterij solicitatores, in eius fauorem testificari non possunt, Anton. de Butt. in cap. cum à nobis, de testibus, num. 13. ad fin. vers. De sollicitatore, & ibi Felin. num. 15. Farinac. de testib. q. 60. n. 244 & seqq.

50 Contra hoc opponit Monasterium, ex exceptionem cap. insuper, de testib. vt Ecclesiæ procuratores non admittantur in testes in eius fauorem, solum procedere in procuratoribus ad lites, & non in procuratoribus ad negotia. Sed hæc limitatio imaginaria est: nam cap. insuper loquitur generaliter excipiendo testes procuratores, & in procuratore ad negotia probat l. fin. ff. de testib. quæ dicit non esse idoneum testem ad probationem negotij a se gesti, Farinac. de testib. q. 60. n. 261.

51 Et in hoc vera, & magistralis est distinctio Abbatis in dict. cap. insuper, de testib. ubi n. 8 vbi dicit, quod si procurator ad negotia deponit super negotio a se gesto, ex quo illi honor, laus, vel vituperium aut aliud quodlibet interesse sequitur, non probat, quia deponit super re ipsum tangentem: quæ resolutio est etiam Bald & Salicet. in l. omnibus, C. de testib. & aliorum, quos citat Farinac de testib. q. 60. n. 265, & in nostro casu recte percipitur proprium Religiosorum interesse, si Monasterium causam vincat. Siquidem huius negotij, illi sunt instrumenta, & nulla inuenitur probatio, aut scriptura, sed solum illorum depositiones, & ob affectum, quem habet testis in negotio, in q. o. exitit procurator, deponere non potest, etiam finito negotio. Farinac. d. q. 60. n. 202. & 203. quamuis non agat de proprio interesse, quia sufficit affectio ad causam, vt ibi dicit Farinac. Gratian. tom. 5. cap. 980. n. 18 & 19. vbi in individuo loquitur de Monacho depONENTE in fauorem Monasterij, quod etiam finito officio non sit idoneus testis.

52 Tertia vero sublimitatio procedit respectu dictorum fr. Francisci de Vega, & fr. Petri Albistur, quia intercesserunt, & fuerunt mediatores cum praedicto Episcopo D. fr. Ioanne del Valle, vt donationem faceret, vt ipse fr. Franciscus refert, & probatum est: & ita debent repelliri, vt probatur in cap. 1. de testib. lib. 6. & ibi glos. verb. Mediatores, & ibi Archiacon. in princip. num. 1. Ioan. Andr. ante num. 1. versic. Magis enim in effectu est, Mascard. de probat. conclus. 1363. testis in causa, num. 36. Farinac. q. 60. n. 408. & sequent.

53 Contra quod opponit à Monasterio, quod quamvis praedicti Religiosi ob hanc causam idonei testes non sint, vitium tamen fuit purgatum ex eo, quod à partibus in testes fuerunt exhibiti in instrumento donationis, ad quod aliqui DD. citantur. Quorum opinio procedit in scriptura publica, in qua de voluntate partium non dubitatur, & tabellio, qui si

subscript, attestatur de voluntate partium testem fuisse exhibitum illum qui alias patitur exceptions, vt per Mascard. conclus. 408. coniunctum pro coniuncto, num. 17. 18 & 19. quod inter ipsos contrahentes procedit, qui in suo contractu inhabiles testes producunt, sed non tertii respectu (vt in hoc casu Ecclesia, que in contractu non interuenit, nec illum approbavit) nam huic dispositio dictorum testimoniū præjudicare non potest, vt declarat Salicet. in l. 1. C. de testament. colum. 3. num 6 in fin. vers. & ibi Corneus num. 20. Farinac. de testib. q. 62. n. 120.

54 Quarta sublimitatio procedit etiam respectu dictorum fr. Petri Albistur, & fr. Francisci de Vega: nam in schedula, in qua fundatur donatio, administratores bonorum Episcoporum nominati fuerunt, & suæ voluntatis executores, & ita in sui comprobationem depone non valent, nam in eorum fauorem redundat, Farinac. quæst. 60. num. 263. legendus ex num. 261. vbi de teste executore ultimæ voluntatis, quod non possit ad fauorem ipsius testamenti depone.

55 Et quamvis Monasterium hæc oppositionem in prima instantia recognovit in suis allegationibus, ci non satisfacit.

56 Quinta sublimitatio procedit respectu fr. Petri de Albistur, qui, tempore, quo sicut datum mandatum ad huius cause prosequutionem, erat Monasterij Vallisoletani Praelatus, & vt talis illis subscript: vnde in hac causa testificari non potest, nam hæc exceptio legitima est contra universitatis testem, Vivius opinione 953. num. vers. Et hoc potissimum, Anna singul. 81 & 82 Farinac. q. 60. n. 527.

57 Sublimitatio 6 supra relatas coadiuat: nam vt testis Monasterij, vel universitatis in fauorem illius deponat, debet esse omni exceptione maior, & nullum alium defestum pati, vt per Menoch. ca. u. 106. n. 12. Farin. q. 60. n. 524. & 525. & cum Religiosi defectus ponderebant, & reliquos, qui in discursu huius allegationis proponentur, certum est nullum facere fidem, nec aliquid probare.

58 Sublimitatio 7. procedit respectu interest fr. Petri de Albistur, & fr. Francisci de Vega, qui vt Commissarij ad faciendas dicti Collegij ordinationes, & illius fundationem disponendam, poterant se ipsos administratores, aut exactores reddituum Collegij nominare, aliquo assignato stipendio: quapropter idonei testes non sunt, vt pet Farinac. decisione 312. num. 2. ad med. post 2. tom. consil. criminal. vbi quod quando agitur de pascuis, testes vicini, qui greges non habent, idonei non sunt, cum possibile sit greges habere, & decis. 230. ad fin. dict. part. 2. vbi eadem opinio comprobatur, & decis. 210. eadem part. 2. vbi Rotare pullit testes ex eo, quod habebant prædia in loco controveiso.